

COLLECTIO MISSARUM DE BEATA MARIA VIRGINE

I

COLLECTIO MISSARUM
DE BEATA MARIA VIRGINE




Audivit Angeli nuntium et fide prospexit hominis Redemptorem

CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

COLLECTIO MISSARUM DE BEATA MARIA VIRGINE

EDITIO TYPICA



LIBRERIA EDITRICE VATICANA
1987

ISBN 88-209-1564-2



CONGREGATIO PRO CULTU DIVINO

Prot. N. 309/86

DECRETUM

Christi mysterium celebrans, Ecclesia beatam Virginem Mariam sæpe venerabunda commemorat, Filio intime devinctam: recolit enim mulierem novam quæ, Christi mortis intuitu, in ipsa conceptione sublimiore modo est redempta; matrem quæ, Spiritus Sancti virtute, Filium virginaliter genuit; discipulam quæ Magistri verba sedula in corde suo custodivit; Redemptoris sociam quæ, ex divino consilio, operi Filii generose totam se devovit.

In beata Virgine agnoscit quoque Ecclesia supereminens atque singulare membrum omni copia exornatum virtutum; eam a Christo in ara crucis matrem sibi concreditam pio prosequitur amore eiusque patrocinium indesinenter postulat; eam in itinere fidei et in ærumnis vitæ comitem ac sororem profitetur; in ea, iam in cælesti regno apud Filium locata, imaginem futuræ suæ gloriæ læta contemplatur.

Cum autem Patres, in Concilio Œcumenico Vaticano II congregati, doctrinam de beata Maria Virgine in mysterio Christi et Ecclesiæ altius pervestigassent et principia et normas de instauranda liturgia edidissent, Ecclesiæ particulares et plurima Instituta religiosa *Propria missarum* recognoverunt, monumenta liturgica adeuntes, Sanctorum Patrum tum Orientis tum Occidentis scripta considerantes, magisterii ecclesiastici documenta meditantes, antiqua denique cum novis sapienter componentes. Quo in-

staurationis opere evenit ut missæ quoque de beata Maria Virgine vel accurate recenserentur atque emendarentur vel ex novo conficerentur.

Itaque petentibus compluribus pastoribus et fidelibus ac potissimum sanctuariorum marialium rectoribus, opportunum visum est ex iis missarum formulariis, quorum multa doctrina, pietate textuumque momento pollent, nonnulla in unum colligere et per anni circulum apte distribuere, ut ope quoque huius instrumenti liturgici genuina pietas tum communitatum tum singulorum fidelium erga Matrem Domini foveretur.

Hanc *Collectionem missarum de beata Maria Virgine,* quæ veluti appendix Missalis Romani haberi potest, Summus Pontifex Ioannes Paulus II Auctoritate Sua Apostolica approbavit evulgarique iussit.

Quapropter hæc Congregatio pro Cultu Divino, de speciali mandato eiusdem Summi Pontificis, *Collectionem missarum de beata Maria Virgine* publici iuris facit, quæ, lingua latina exarata, statim ac prodierit vigere incipiet; linguis autem vernaculis, cum interpretationes a Sede Apostolica sint recognitæ, a die quem Conferentiæ Episcoporum statuerint.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romæ, ex ædibus Congregationis pro Cultu Divino, die 15 augusti 1986, in sollemnitate Assumptionis beatæ Mariæ Virginis.

AUGUSTINUS Card. MAYER
Præfectus

✠ VERGILIUS NOÈ
Archiep. tit. Voncariensis
a Secretis

PRÆNOTANDA

1. Concilium Vaticanum II in Constitutione dogmatica de Ecclesia *Lumen gentium,* cum exposuerit doctrinam catholicam de natura venerationis sanctæ Mariæ, Christi matri, tribuendæ, « omnes Ecclesiæ filios admonet, ut cultum, præsertim liturgicum, erga beatam Virginem generose foveant ».[1] Eadem œcumenica Synodus in Constitutione de sacra liturgia *Sacrosanctum Concilium,* illustrat quid Ecclesia universalis cultum liturgicum beatæ Virgini reddens spectet et sentiat: « In [...]annuo mysteriorum circulo celebrando, sancta Ecclesia beatam Mariam Dei Genitricem cum peculiari amore veneratur, quæ indissolubili nexu cum Filii sui opere salutari coniungitur; in qua præcellentem Redemptionis fructum miratur et exaltat, ac veluti in purissima imagine, id quod tota esse cupit et sperat cum gaudio contemplatur ».[2]

2. Sedes Apostolica, sacrosancti Concilii œcumenici Vaticani II adhortatione impulsa et sæculari Ecclesiæ usu ac sapientia ducta, pietati erga Deiparam recte promovendæ alacrem dedit operam. Quare in liturgia Romana veneratio erga beatam Virginem Mariam, cuius memoria composite inseritur anni liturgici circulo,[3] multis ac miris modis exprimitur.

3. Liturgia Romana enim, iuxta ordinationem Calendarii Generalis, haud raro per annum liturgicum opportunitatem fidelibus præbet commemorandi beatæ Mariæ Virginis participationem mysterio salutis. Præclara autem testimonia pietatis erga Matrem Domini non solum in *Missali Romano* et in *Liturgia Horarum* inveniuntur, sed et in aliis libris liturgicis, qui peculiares continent celebrationes ad humilis gloriosæque Christi Matris memoriam recolendam.[4]

I. Beata Virgo Maria in celebratione Christi mysterii

4. Liturgia per sacra signa opus salutis celebrat, quod Deus Pater per Christum in Spiritu Sancto perfecit. Salus autem quam Deus Pater indesinenter operatur:

— a Patriarchis et Prophetis est nuntiata. « Veteris Testamenti œconomia ad hoc potissimum disposita erat, ut Christi universo-

[1] N. 67: A.A.S. 57 (1965) p. 65.

[2] N. 103: A.A.S. 56 (1964) p. 125.

[3] Cf. Paulus VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus,* n. 2.: A.A.S. 66 (1974) p. 117.

[4] Cf. ex. gr. Rituale Romanum, *De Benedictionibus,* Editio Typica. Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXXXIV, cap. XXIX, II. *Ordo benedictionis imaginis beatæ Mariæ Virginis,* nn. 1004-1017, pp. 382-388; *Ordo coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis,* Editio Typica. Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXXXI.

rum redemptoris Regnique messianici adventum præpararet, prophetice nuntiaret (cf. Lc 24, 44; Io 5, 39; 1 Petr 1, 10) et variis typis significaret (cf. 1 Cor 10, 11) »; [5]

— in Christo Iesu autem plene est patefacta. Iesus, Filius Dei, in sinu Virginis Nazarethanæ humanam assumpsit naturam et Mediator factus est novi et æterni Fœderis. In Paschatis enim mysterio homines Patri reconciliavit (cf. Col 1, 22; 2 Cor 5, 18-19) et, Spiritu adoptionis super eos effuso (cf. Rom 8, 15-17; Gal 4, 5-6), sibi intime sociavit ut in spiritu et veritate (cf. Io 4, 23) cultum acceptum Patri redderent;

— in « tempus Ecclesiæ » producitur, per Evangelii nuntium et sacramentorum celebrationem (cf. Mt 28, 18-20), quæ efficiunt ut per sæcula homines verbo salutis adhæreant et paschali inserantur mysterio;

— in altero vero Christi glorioso adventu omnino perficietur (cf. Mt 24, 30; Act 1, 11), cum Christus, morte devicta, omnia sibi subiciet et Regnum Patri tradet (cf. 1 Cor 15, 24-28).

5. Ecclesia, in sacris mysteriis exsequendis, totum atque integrum opus salutis celebrat; præterita celebrando præsentia quodammodo efficit et in « mystico hodie » [6] salutem fidelium operatur, qui dum in terris peregrinantur futuram inquirunt Civitatem (cf. Hebr 13, 14).

Beata Maria autem quæ, ex divino consilio, propter Christi et Ecclesiæ mysterium « in historiam salutis intime est ingressa »,[7] diversis mirisque modis vitæ Christi mysteriis active interfuit.

6. Missæ de beata Virgine vim et sensum trahunt ex eius intima participatione historiæ salutis. Ecclesia enim Matris Domini munus in opere redemptionis commemorans aut privilegia recolens, facta salutis in primis celebrat quibus beata Virgo, ex salvifico Dei consilio, interfuit intuitu mysterii Christi.

In missis de sancta Maria
actio Dei pro hominum salute celebratur

7. Ex quibus factis salutis Ecclesia, anno liturgico ineunte, celebrat opus Dei in Redemptoris Matre præparanda, in qua, « post diuturnam exspectationem promissionis complentur tempora et nova

[5] Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de divina revelatione, *Dei verbum*, n. 15: A.A.S. 58 (1966) p. 825.

[6] Cf. ex. gr. Liturgia Horarum, die 25 decembris in Nativitate Domini, II Vesp. ant. ad Magnificat; die 6 ianuarii in Epiphania Domini, II Vesp. ant. ad Magnificat; die 2 februarii in Præsentatione Domini, II Vesp. ant. ad Magnificat; feria V post dominicam VI Paschæ in Ascensione Domini, II Vesp. ant. ad Magnificat; dominica Pentecostes, II Vesp. ant. ad Magnificat.

[7] Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 65: A.A.S. 57 (1965) p. 64.

instauratur œconomia ».[8] Deus enim gratia sua in Mariam supervenit eamque a primo instanti suæ Conceptionis ab omni peccati labe præservavit, Spiritus Sancti donis replevit ac deinceps indesinenter obtexit amore, « magna » ei faciens (cf. Lc 1, 49) intuitu hominum salutis.

8. Sed et interventum Dei Ecclesia celebrat in Verbi incarnatione, in Christi nativitate, in eius manifestatione pastoribus, primitiis Ecclesiæ ex Iudæis (cf. Lc 2, 15-16), et magis, primitiis Ecclesiæ ex Gentibus (cf. Mt 2, 1-12), necnon in aliis Salvatoris infantiæ momentis. Quibus factis salutis Maria intime est sociata; unde complura missarum formularia, ex quibus haud pauca venerabili pollent antiquitate et vi liturgica, dum mysteria Christi infantiæ celebrant participationem quoque Matris eius recolunt atque illustrant.

9. Vitam autem publicam Salvatoris, in qua Deus Pater mirabiliter operatus est, ritu liturgico celebrans, Ecclesia recolit quoque beatam Virginem, « quæ mysteriis Christi interfuit ».[9] Nam « in vita publica Iesu, Mater eius signanter apparet, in initio quidem, cum ad nuptias in Cana Galilææ, misericordia permota, initium signorum Iesu Messiæ intercessione sua induxit (cf. Io 2, 1-11). In decursu prædicationis eius suscepit verba, quibus Filius, Regnum ultra rationes et vincula carnis et sanguinis extollens, audientes et custodientes verbum Dei, sicut ipsa fideliter faciebat (cf. Lc 2, 19 et 51), beatos proclamavit (cf. Mc 3, 15 par; Lc 11, 27-28) ».[10]

10. Quæ vero in Christi paschali mysterio a Deo facta sunt, Ecclesia potissimum celebrat, et celebrando invenit Matrem Filio intime sociatam: in Filii passione beata Virgo « vehementer cum Unigenito suo condoluit et sacrificio eius se materno animo sociavit, victimæ de se genitæ immolationi amanter consentiens »; [11] in eius resurrectione superna repleta est lætitia; [12] post eius in cælum ascensionem in cenaculo una cum Apostolis et primis discipulis orans, imploravit « donum Spiritus, qui in Annuntiatione ipsam iam obumbraverat ».[13]

[8] Ibid., n. 55: A.A.S. 57 (1965) p. 60.
[9] Ibid., n. 66: A.A.S. 57 (1965) p. 65.
[10] Ibid., n. 58: A.A.S. 57 (1965) p. 61.
[11] Ibid., n. 58: A.A.S. 57 (1965) p. 61.
[12] Cf. Liturgia Horarum, Commune beatæ Mariæ Virginis, I et II Vesp., Preces (formularium alterum).
[13] Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 59: A.A.S. 57 (1965) p. 62.

De Christi præsentia in celebrationibus liturgicis

11. Post gloriosam Christi ascensionem, opus salutis per liturgiæ præsertim celebrationem continuatur, quæ non immerito tempus ultimum historiæ salutis habetur. In liturgia enim Christus multimode præsens adest: [14] ut caput, quod cœtui cultuali præest, cuius membra regali dignitate exornantur; magister, qui evangelium salutis adhuc proclamat; sacerdos, qui offert sacrificium novæ legis et sua virtute in sacramentis agit; mediator, qui pro hominibus Deum Patrem indesinenter interpellat (cf. Hebr 7, 25); frater primogenitus (cf. Rom 8, 29), qui innumerabilium fratrum vocibus vocem suam iungit.

Fideles autem, verbo fidei adhærentes et liturgicis celebrationibus « in Spiritu » participantes, Salvatori occurrunt et eventui salvifico vitaliter inseruntur.

12. Item beata Virgo, gloriose in cælum assumpta atque apud Filium, Regem regum et Dominum dominorum (cf. Ap 19, 16) exaltata, salutiferum munus a Deo Patre sibi commissum « non deposuit, sed multiplici intercessione sua pergit in æternæ salutis donis nobis conciliandis ».[15] Ecclesia autem quæ, propter vincula quibus cum Maria nectitur, cum ipsa et sicut ipsa « Christi mysterium vivere vult »,[16] iugiter experitur beatam Virginem indesinenter, sed præsertim in sacra liturgia, sibi matrem et adiutricem adesse.

13. Liturgia enim suapte natura miro modo fovet, perficit atque exprimit communionem non solum cum Ecclesiis toto orbe diffusis, sed et cum cælestibus incolis, cum Angelis et Sanctis, et in primis cum gloriosa Dei Genetrice.

Itaque Ecclesia, cum beata Virgine intime communicans,[17] eiusque referens pietatis sensus,[18] celebrat divina mysteria, quibus « Deus perfecte glorificatur et homines sanctificantur »: [19]

— eius sociata voci Deum Patrem benedicit eiusque grato magnificat præconio; [20]

[14] Cf. Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, nn. 6-7: A.A.S. 56 (1964) pp. 100-101.

[15] Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 62: A.A.S. 57 (1965) p. 63.

[16] Paulus VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus*, n. 11: A.A.S. 66 (1974) p. 124.

[17] Cf. Missale Romanum, Prex eucharistica I seu Canon Romanus, *Communicantes*.

[18] Cf. Paulus VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus*, nn. 16-20: A.A.S. 66 (1974) pp. 128-132.

[19] Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 7: A.A.S. 56 (1964) p. 101.

[20] Cf. Missale Romanum, die 31 maii in Visitatione beatæ Mariæ Virginis, Collecta; ibid., Præfatio II de beata Maria Virgine.

— cum ipsa cupit verbum Dei audire et assidue in corde conferre;[21]

— cum ipsa paschalis Christi mysterii consors fieri exoptat[22] et eius redemptionis operi sociari;[23]

— eam cum Apostolis in cenaculo orantem imitata, Sancti Spiritus donum indesinenter implorat;[24]

— eius deprecationem invocat, sub eius præsidium confugit,[25] eam precatur ut fidelium plebem visitet ac gratiarum repleat donis;[26]

— cum ea, gressus suos tuente benigna, Christo fiducialiter occurrit.[27]

De vi exemplari beatæ Virginis in celebrationibus liturgicis

14. Liturgia, cui mira vis inest præterita revocandi eaque præsentia efficiendi, fidelium oculis persæpe proponit Virginis Nazarethanæ imaginem, quæ « semetipsam ut Domini ancillam personæ et operi Filii sui totaliter devovit, sub ipso et cum ipso, mysterio redemptionis inserviens ».[28]

Quare, præsertim in actionibus liturgicis, Mater Christi tamquam « exemplar virtutum »[29] et fidelis cooperationis operi salutis præfulget.

15. Liturgia, e Sanctis Patribus doctrinam et sermonem mutuata, vim exemplarem, quæ beatæ Virgini inest, pluribus modis exprimit: tum eam *exemplar* vocans, præsertim cum vult eius sanctitatem in lucem proferre et tamquam fidelem ancillam Domini (cf. Lc 1, 38; 2, 48) et perfectam Christi discipulam fidelibus proponere; tum *figuram* eam appellans, cum monere exoptat conversationem sanctæ Mariæ — virginis sponsæ matris — vitam Ecclesiæ effingere eiusque gressus in itinere fidei et in Domini sequela dirigere; tum denique eam *imaginem* dicens, ut pateat Ecclesiam in beata Virgine, iam perfecte Filio configurata, cum gau-

[21] Cf. Rituale Romanum, De Benedictionibus, cap. IV, *Ordo benedictionis pro cœtu ad catechesim vel orationem faciendam congregato*, Preces, n. 383, p. 147.

[22] Cf. Missale Romanum, die 15 septembris, memoria beatæ Mariæ Virginis Perdolentis, Collecta; Rituale Romanum, De Benedictionibus, cap. XXXIV, *Ordo benedicendi stationes « Viæ crucis »*, Preces, n. 1108, p. 422.

[23] Cf. Missale Romanum, Missa votiva de beata Maria Ecclesiæ Matre, Super oblata.

[24] Cf. ibid., Præfatio.

[25] Cf. Liturgia Horarum, Ant. finalis ad beatam Mariam Virginem, *Sub tuum præsidium*.

[26] Cf. Liturgia Horarum, die 31 maii in Visitatione beatæ Mariæ Virginis, Hymnus ad Officium lectionis, *Veni, præcelsa Domina*.

[27] Cf. Missale Romanum, Missa votiva de beata Maria Ecclesiæ Matre, Præfatio.

[28] Concilium Vaticanum II, Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*, n. 56: A.A.S. 57 (1965) p. 60.

[29] Ibid., n. 65: A.A.S. 57 (1965) p. 64.

dio contemplari « veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota esse cupit et sperat ».[30]

16. Quare Ecclesia in sacra liturgia fideles ad beatam Virginem imitandam invitat in primis propter fidem et obœdientiam qua consilio salutis amanter adhæsit. In hymnis autem et textibus euchologicis ampla et pulchra series exhibetur virtutum, quas Ecclesia, per sæcula, Spiritu Sancto ducta, in Christi Matre invenit orando et contemplando didicit.

17. Vis exemplaris beatæ Virginis in ipsa actione liturgica elucens fideles impellit Matri se conformari quo Filio plenius se conforment. Sed et eos impellit Christi mysteria celebrare iisdem pietatis sensibus, quibus ipsa Filii nativitati et epiphaniæ, morti et resurrectioni participavit. Eos urget scilicet verbum Dei sollicite custodire et diligenter conferre; Deum exsultanter laudare eique lætanter gratias agere; fideliter Deo ac fratribus inservire et seipsos generose offerre; perseveranter orare et implorare fidenter; misericordes et humiles se exhibere; legem Domini colere eiusque voluntatem amplecti; in omnibus et super omnia Deum diligere; venienti Domino vigilanter occurrere.

18. In celebratione missarum de sancta Maria presbyteri et omnes qui munere pastorali funguntur in primis studeant fideles monere sacrificium eucharisticum memoriale esse Christi mortis et resurrectionis eosque impellere ad illud actuose et plene participandum; minime vero prætermittant vim exemplarem ostendere a sancta Maria manantem, quæ multum valet ad fideles sanctificandos.

II. De « Collectionis missarum » natura

19. *Collectio missarum de beata Maria Virgine,* a Summo Pontifice Ioanne Paulo II probata et a Congregatione pro Cultu Divino promulgata, hoc in primis spectat ut, in cultu beatæ Virgini Mariæ tribuendo, celebrationes foveantur quæ polleant doctrina, argumentorum commendentur varietate et rite commemorent facta salutis a Domino Deo in beata Virgine patrata, intuitu Christi et Ecclesiæ mysterii.

20. « Collectio missarum » componitur magna ex parte e formulariis missarum de sancta Maria, quæ in *Propriis missarum* Ecclesiarum particularium vel Institutorum religiosorum vel in ipso *Missali Romano* vigent.

[30] Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 103: A.A.S. 56 (1964) p. 125; cf. Missale Romanum, die 15 augusti in Assumptione beatæ Mariæ Virginis, Præfatio.

21. « Collectio missarum » destinatur in primis:

— sanctuariis marialibus, ubi missæ de sancta Maria frequenter celebrantur, servatis iis quæ infra nn. 29-33 statuuntur;

— communitatibus ecclesialibus quæ, sabbatis temporis « per annum », missam de beata Maria Virgine celebrare exoptant, servatis iis quæ infra n. 34 statuuntur.

Usus autem « Collectionis missarum », ut infra n. 37 dicitur, permittitur diebus quibus, secundum *Institutionem generalem Missalis Romani,*[31] « missæ ad libitum » celebrari possunt.

22. Promulgatio *Collectionis missarum de beata Maria Virgine* nullam mutationem inducit in *Calendarium Romanum Generale,* die 21 martii 1969 promulgatum, aut in *Missale Romanum,* iterum typice editum die 27 martii 1975, aut in *Ordinem Lectionum Missæ,* die 21 ianuarii 1981 iterum editum, aut denique in vigentem rubricarum disciplinam.

III. De « Collectionis missarum » structura

23. Ecclesia per anni circulum totum Christi mysterium composite celebrat: ab æterna prædestinatione, qua Christus, Verbum incarnatum, principium et caput, finis et plenitudo exsistit humani generis totiusque creationis, usque ad alterum eius gloriosum adventum, cum omnia in eo perficientur « ut sit Deus omnia in omnibus » (1 Cor 15, 28).[32]

24. Cum vero beata Virgo arctissimo vinculo mysterio Christi sit coniuncta, *Collectio missarum de beata Maria Virgine* est disposita secundum anni liturgici ordinationem. Unde quadraginta sex formularia « Collectionis », ratione in primis habita mysterii quod celebrant, in tempora anni liturgici sunt distributa: in tempus Adventus (tria formularia), in tempus Nativitatis (sex formularia), in tempus Quadragesimæ (quinque formularia), in tempus Paschatis (quattuor formularia), in tempus « per annum » (duodetriginta formularia).

Formularia autem temporis « per annum » in tres sectiones sunt dispertita, quarum *prima* undecim formularia continet ad memoriam Deiparæ celebrandam sub titulis e Sacra Scriptura præsertim deductis vel eius cum Ecclesia nexum ostendentibus; *secunda* novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam

[31] Cf. n. 316 c).

[32] Cf. Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 102: A.A.S. 56 (1964) p. 125; Calendarium Romanum Generale, Editio Typica. Typis Polyglottis Vaticanis MCMLXIX, cap. I. *De anno liturgico,* n. 1, p. 11.

sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant; *tertia* octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericordem intercessionem in favorem fidelium ostendunt.

Ex hac missarum ordinatione fit ut momenta et modi cooperationis beatæ Virginis operi salutis aptissimo quoque tempore liturgico celebrentur et in lucem proferatur Matrem Domini Ecclesiæ missioni arcte sociari.

25. « Collectio missarum », pro liturgiæ Romanæ consuetudine, ex duobus voluminibus constat:

— prius continet textus euchologicos, antiphonas ad introitum et ad communionem necnon, in appendice, nonnullas formulas ad benedictionem sollemnem in fine missæ impertiendam;

— alterum continet lectiones biblicas unicuique missæ assignatas cum psalmo responsorio et alleluia vel versus ante evangelium.

26. In priore volumine, ad præparationem celebrationis eucharisticæ fovendam, unicuique formulario introductio indolis historicæ, liturgicæ, pastoralis est præmissa, in qua breviter explanantur origo memoriæ vel tituli beatæ Virginis, fontes formularii interdum indicantur, illustratur doctrina quæ desumitur e textibus biblicis et euchologicis.

IV. De « Collectionis missarum » usu

27. *Collectio missarum de beata Maria Virgine* ut propositum sibi finem pastoralem assequatur ubique et omnibus recte est adhibenda.

De temporibus anni liturgici observandis

28. Ad rectum usum « Collectionis missarum » oportet in primis sacerdotem celebrantem tempora anni liturgici observare. Itaque formularia missarum de more sunt adhibenda tempore liturgico cui sunt assignata. Iusta tamen de causa quædam formularia adhiberi possunt alio quoque tempore liturgico, exempli gratia:

— missa « Sancta Maria de Nazareth », in numerum missarum temporis Nativitatis adscripta (n. 8), congruenter celebrari potest tempore quoque « per annum », si fidelium cœtus vitam a Virgine Nazarethana ductam eiusque vim exemplarem recolere vult;

— missa « Beata Maria Virgo, mater reconciliationis », quæ in numero formulariorum temporis Quadragesimæ invenitur (n. 14), recte adhibetur tempore quoque « per annum », cum Eucharistia ad sensus reconciliationis et concordiæ excitandos celebratur.

Contra quædam missæ, ut missa « Beata Maria Virgo in epiphania Domini » (n. 6) aut missa « Beata Maria Virgo in resurrectione Domini » (n. 15), propter peculiarem congruentiam cum tempore liturgico, nequeunt celebrari altera extra tempus Nativitatis, altera extra tempus paschale.

A. *De « Collectionis missarum » usu in sanctuariis marialibus*

29. *Collectio missarum de beata Maria Virgine,* ut supra n. 21 dictum est, destinatur in primis sanctuariis marialibus ut in eis germana pietas erga Matrem Domini foveatur et genuino spiritu liturgico imbuatur.

Quod maximæ utilitati erit Ecclesiis particularibus, quarum actuositas pastoralis magnopere sustinetur ac fovetur inceptis et operibus quæ in sanctuariis beatæ Virgini dicatis peraguntur. Nam in sanctuariis — ut Codex iuris canonici admonet — fidelibus suppeditanda sunt abundantius media salutis, verbum Dei sedulo annuntiando, vitam liturgicam præsertim per Eucharistiæ et pænitentiæ celebrationem apte fovendo, necnon probatas pietatis popularis formas colendo ».[33]

30. Eucharistiæ celebratio culmen et veluti centrum est totius actionis pastoralis sanctuariorum: eam potissimum participare exoptant peregrini qui ad sanctuaria frequentes conveniunt, cœtus qui studii vel orationis causa in eis congregantur, fideles qui ea singuli petunt ut instanter Deo supplicent vel contemplationi vacent.

Quare, pro peculiaribus fidelium et cœtuum adiunctis, in Eucharistiæ celebratione diligens cura adhibenda est ut actio liturgica exemplaris evadat atque ipsa communitas divina mysteria celebrans germanam Ecclesiæ præbeat imaginem.[34]

31. Itaque Congregatio pro Cultu Divino facultatem concedere consuevit sanctuariis marialibus missam de beata Maria Virgine sæpius celebrandi.

Quod attinet ad usum *Collectionis missarum de beata Maria Virgine,* hæc serventur:

a) ratione habita temporis liturgici, missæ quæ inveniuntur in « Collectione missarum » celebrari possunt omnibus diebus præter eos qui nn. 1-6 *Tabulæ dierum liturgicorum inscribuntur;* [35]

[33] Codex iuris canonici, can. 1234.

[34] Cf. Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium,* n. 2: A.A.S. 56 (1964) pp. 97-98.

[35] Numeris 1-6 *Tabulæ* (Calendarium Romanum Generale, n. 59, pp. 20-21) inscribuntur:

1. Triduum paschale Passionis et Resurrectionis Domini.
2. Nativitas Domini, Epiphania, Ascensio et Pentecostes.
   Dominicæ Adventus, Quadragesimæ et Paschæ.

b) facultas tamen de qua agitur sub littera *a*) conceditur *tantum* pro sacerdotibus peregrinis aut quoties missa in peregrinantium favorem celebratur;

c) tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschatis, nisi agatur de celebratione ad modum *festi* vel *sollemnitatis,* adhibeantur lectiones biblicæ quæ unicuique diei in Lectionario de tempore assignantur.

De « missa propria » sanctuarii

32. Congruentia textuum « missæ propriæ » cum peculiari titulo sub quo beata Virgo in sanctuario veneratur efficit ut sacerdotes et fideles peregrini eam de more celebrare exoptent.

Tamen vitandum est ne, nulla ratione habita de diversis anni liturgici temporibus, « missa propria » sanctuarii unice celebretur. Oportet enim formularium missæ sapienter varietur ut, per ipsam celebrationem Eucharistiæ, fidelibus præbeatur conspectus totius historiæ salutis necnon nexuum quibus sancta Maria Christi et Ecclesiæ mysterio est coniuncta.

33. Hic indicantur, exempli causa, nonnulla rerum adiuncta in quibus formularia « Collectionis missarum » opportune adhibentur loco « missæ propriæ » sanctuarii:

a) cum, tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ, Paschatis formularia, quæ pro unoquoque tempore in « Collectione missarum » proponuntur, mire conveniunt cum Christi mysteriis quæ tunc celebrantur;

b) cum formularium « Collectionis missarum » melius respicit condiciones et adiuncta Ecclesiæ localis aut cuiusdam cœtus peregrinorum;

c) cum quidam cœtus peregrinorum aliquot dies apud sanctuarium commoratur aut idem sæpius adit.

Feria IV Cinerum.
Feriæ Hebdomadæ sanctæ, a feria II ad feriam V inclusive.
Dies infra octavam Paschæ.
3. Sollemnitates Domini, beatæ Mariæ Virginis, et Sanctorum in calendario generali inscriptæ.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum.
4. Sollemnitates propriæ, nempe:
a) Sollemnitas Patroni principalis loci seu oppidi aut civitatis.
b) Sollemnitas dedicationis et anniversarii dedicationis ecclesiæ propriæ.
c) Sollemnitas Tituli ecclesiæ propriæ.
d) Sollemnitas aut Tituli,
aut Fundatoris.
aut Patroni principalis Ordinis seu Congregationis.
5. Festa Domini in calendario generali inscripta.
6. Dominicæ temporis Nativitatis et dominicæ « per annum ».

B. *De « Collectionis missarum » usu pro memoria sanctæ Mariæ « in sabbato »*

34. *Collectio missarum de beata Maria Virgine,* ut supra n. 21 dictum est, destinatur quoque communitatibus ecclesialibus quæ, « in sabbatis per annum, in quibus non occurrat memoria obligatoria »,[36] memoriam sanctæ Mariæ frequenter celebrant et ideo plura formularia missarum in promptu habere exoptant.

35. Consuetudo diem sabbatum beatæ Mariæ Virgini dicandi, in monasteriis carolingiis sæculo VIII exeunte orta, totis Europæ regionibus mox invaluit;[37] recepta quoque est libris liturgicis complurium Ecclesiarum particularium ac veluti patrimonium facta est Ordinum religiosorum vitæ evangelicæ et apostolicæ, qui ineunte sæculo XIII florere cœperunt.

In instauratione liturgica quæ Concilium Tridentinum est secuta, consuetudo memoriam sanctæ Mariæ « in sabbato » celebrandi in *Missale Romanum* est inducta.

Instauratio autem liturgica Concilii Vaticani II memoriæ beatæ Mariæ Virginis « in sabbato » novam lucem novumque addidit vigorem; effecit enim ut ea sæpius celebrari posset, numerum tum formulariorum tum lectionum biblicarum auxit, textus euchologicos instauravit.

36. Memoria sanctæ Mariæ « in sabbato » apud complures communitates ecclesiales veluti introductio ad « diem Domini » peragitur; quæ, cum memoriam hedbomadariam resurrectionis Domini celebrare parant, beatam Virginem venerabundæ respiciunt, quæ una ex omnibus discipulis, « magno die sabbato », cum Christus in sepulcro iaceret, fide ac spe suffulta, eius resurrectionem vigilis exspectavit.[38]

Hæc autem « antiqua [...] atque quasi submissa » [39] memoria sanctæ Mariæ, octavo quoque recurrens die, quodammodo monet beatam Virginem in vita Ecclesiæ assidue præsentem adesse.

C. *De « Collectionis missarum » usu diebus quibus « missa ad libitum » permittitur*

37. In feriis per annum, in quibus secundum *Institutionem generalem Missalis Romani* permittuntur « missæ ad libitum »,[40] sacerdoti missam celebranti sive cum populo sive sine populo facultas est adhibendi unum e formulariis « Collectionis ».

[36] Cf. Calendarium Romanum Generale, cap. I. *De anno liturgico,* n. 15, p. 13.
[37] Cf. Bernaldus Constantiensis, *Micrologus de ecclesiasticis observationibus,* cap. 60: PL 151, 1020.
[38] Cf. Humbertus de Romanis, *De vita regulari,* cap. XXIV. Quare sabbatum attribuitur beatæ Virgini, vol. II. Romæ, Typis A. Befani, 1889, pp. 72-73.
[39] Paulus VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus,* n. 9: A.A.S. 66 (1974) p. 122.
[40] Cf. n. 316 c)

Si vero celebrat cum populo, in eligenda missa « sacerdos imprimis bono spirituali fidelium studebit, et cavebit ne iis suam propensionem imponat. Curabit præcipue ne frequentius et sine sufficienti causa lectiones omittat singulis diebus in Lectionario feriali assignatas: Ecclesia enim cupit ut ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus ».[41]

Meminerint autem sacerdotes et fideles germanam pietatem marialem non postulare ut celebrationes missarum de sancta Maria multiplicentur, sed ut in iis omnia — lectiones, cantus, homilia, oratio universalis, oblatio sacrificii ... — rite, diligenter atque vivo sensu liturgico peragantur.

V. De verbo Dei in formulariis « Collectionis missarum »

38. Peculiare obiectum uniuscuiusque memoriæ liturgicæ, cum textibus euchologicis tum textibus biblicis exprimitur ac definitur. Unde manifestum est cur in seligendis Sacrarum Scripturarum locis summa cura, iam inde ab antiquis temporibus, adhibita sit; sed et patet cur in « Collectione missarum » suum cuique formulario « schema lectionum » sit assignatum ad liturgiam verbi celebrandam.

39. Lectiones biblicæ *Collectionis missarum de beata Maria Virgine* amplum variumque « corpus » constituunt a communitatibus ecclesialibus tum antiquis tum recentioribus, sæculorum decursu, confectum.

In hoc « corpore biblico » tria lectionum genera distingui possunt:

a) lectiones tum Novi tum Veteris Testamenti quæ vitam ipsam vel missionem beatæ Mariæ Virginis respiciunt vel prophetias continent ad eam pertinentes;

b) lectiones Veteris Testamenti, quæ antiquitus ad sanctam Mariam referuntur. Sacræ Scripturæ enim tum novi tum antiqui Fœderis tamquam unum corpus, Christi et Ecclesiæ mysterio perfusum, ab ipsis Sanctis Patribus sunt habitæ. Quare facta, figuræ vel symbola quædam Veteris Testamenti prænuntiant vel mirum evocant in modum vitam et missionem beatæ Mariæ Virginis, gloriosæ filiæ Sion et Christi matris;

c) lectiones Novi Testamenti ipsam beatam Virginem non respicientes, quæ tamen ad eius memoriam celebrandam proponuntur

[41] Ibid.; cf. Ordo Lectionum Missæ, Editio Typica altera. Libreria Editrice Vaticana MCMLXXXI, *Prænotanda*, n. 83, p. XXXVII; Concilium Vaticanum II, Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium*, n. 51: A.A.S. 56 (1964) p. 114.

ut patefiat in sancta Maria, prima atque perfecta Christi discipula, mire effulsisse virtutes — fidem, caritatem, spem, humilitatem, misericordiam, cordis puritatem ... —, quæ in Evangelio exaltantur.

40. Quod ad lectiones attinet quæ unicuique formulario in « Collectione missarum » assignantur, hæc sunt notanda:

a) duæ tantum lectiones proponuntur: prior e Vetere Testamento vel ex Apostolo (id est ex Epistulis aut ex Apocalypsi), tempore autem paschali ex Actibus Apostolorum vel ex Apocalypsi; altera ex Evangelio;

b) attamen si, in peculiaribus celebrationibus sollemnioribus, sacerdos una cum fidelibus tres lectiones in missa proclamare exoptat, lectio addenda sumitur vel e textibus qui inveniuntur in *Communi beatæ Mariæ Virginis* vel e textibus qui continentur in Appendice *Lectionarii* « Collectionis missarum », iis servatis quæ in Prænotandis *Ordinis Lectionum Missæ,* nn. 78-81 (« De principiis in usu Ordinis lectionum adhibendis ») præcipiuntur;

c) lectiones quæ in « Collectione missarum » pro singulis formulariis indicantur, aptissimæ fere erunt ad peculiarem memoriam beatæ Virginis celebrandam. Celebrantibus tamen datur facultas illis substituendi alias aptas lectiones ad libitum selectas ex iis quæ in *Communi beatæ Mariæ Virginis* vel in Appendice *Lectionarii* huius « Collectionis missarum » continentur.[42]

41. Quod attinet ad liturgiam verbi, hæc serventur:

a) tempore Adventus, Nativitatis, Quadragesimæ et Paschatis, ne « lectio continua » Sacræ Scripturæ interrumpatur aut sæpius neglegantur lectiones peculiarem indolem temporis liturgici exprimentes, adhibeantur lectiones quae unicuique diei in Lectionario de tempore assignantur, salva facultate supra n. 31 c) concessa;

b) tempore « per annum » sacerdotis celebrantis est una « cum ministris aliisque partem aliquam in celebratione exercentibus, fidelibus minime exclusis »,[43] statuere utrum præstet lectiones sumere e « Collectione missarum » an e Lectionario de tempore.

[42] Cf. Ordo Lectionum Missæ, Commune beatæ Mariæ Virginis, nn. 707-712, pp. 325-327; cf. vol. II, Appendix, nn. 1-21, pp. 183-215.

[43] *Institutio generalis Missalis Romani,* n. 313; cf. Ordo Lectionum Missæ, *Prænotanda,* n. 78, pp. XXXV-XXXVI.

VI. De aptationibus

42. Conferentiarum Episcopalium est formularia « Collectionis » in linguas vernaculas vertenda curare, iuxta normas pro interpretationibus popularibus vigentes,[44] ita ut indoli variorum sermonum atque ingenio culturarum accommodentur, additis, quoties opportunum fuerit, melodiis cantui aptis.

43. Item Conferentiarum Episcopalium est includere, in apta appendice, formularia iam probata missarum beatæ Virginis sub titulis quibus sancta Maria præcipue veneratur a fidelibus totius vel magnæ partis nationis aut regionis.

[44] Cf. Consilium ad exsequendam Constitutionem de sacra liturgia, Instructio *De popularibus interpretationibus conficiendis*: Notitiæ 5 (1969) pp. 3-12; S. Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino, *Epistula ad Præsides Conferentiarum Episcopalium de linguis vulgaribus in S. Liturgiam inducendis*: Notitiæ 12 (1976) pp. 300-302.

CONSPECTUS COLLECTIONIS

25. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (I)
26. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (II)
27. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (III)
28. Cor immaculatum beatæ Mariæ Virginis
29. Beata Maria Virgo, universorum regina

Sectio II

Hæc sectio novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant.

30. Beata Maria Virgo, mater et mediatrix gratiæ
31. Beata Maria Virgo, fons salutis
32. Beata Maria Virgo, mater et magistra spiritalis
33. Beata Maria Virgo, mater boni consilii
34. Beata Maria Virgo, causa nostræ lætitiæ
35. Beata Maria Virgo, fidei præsidium
36. Beata Maria Virgo, mater pulchræ dilectionis
37. Beata Maria Virgo, mater sanctæ spei
38. Sancta Maria, mater unitatis

Sectio III

Hæc sectio octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericordem intercessionem in favorem fidelium ostendunt.

39. Sancta Maria, regina et mater misericordiæ
40. Beata Maria Virgo, divinæ providentiæ mater
41. Beata Maria Virgo, mater consolationis
42. Beata Maria Virgo, auxilium christianorum
43. Beata Maria Virgo de Mercede
44. Beata Maria Virgo, salus infirmorum
45. Beata Maria Virgo, regina pacis
46. Beata Maria Virgo, ianua cæli

INDEX SIGLORUM

I. Libri sacræ scripturæ

Act	Actus Apostolorum
Ag	Liber Aggæi prophetæ
Ap	Apocalypsis beati Ioannis apostoli
Cant	Canticum canticorum
1 Chr	Liber I Chronicorum (= I Paralipomenon)
Col	Epistula beati Pauli apostoli ad Colossenses
1 et 2 Cor	Epistulæ I et II beati Pauli apostoli ad Corinthios
Deut	Liber Deuteronomii
Eph	Epistula beati Pauli apostoli ad Ephesios
Est	Liber Esther
Ex	Liber Exodus
Ez	Liber Ezechielis prophetæ
Gal	Epistula beati Pauli apostoli ad Galatas
Gen	Liber Genesis
Hebr	Epistula ad Hebræos
Ier	Liber Ieremiæ prophetæ
Io	Evangelium secundum Ioannem
Ion	Liber Ionæ prophetæ
Is	Liber Isaiæ prophetæ
Iudt	Liber Iudith
Lc	Evangelium secundum Lucam
2 Mac	Liber II Maccabæorum
Mal	Liber Malachiæ prophetæ
Mc	Evangelium secundum Marcum
Mic	Liber Michææ prophetæ
Mt	Evangelium secundum Matthæum
Num	Liber Numeri
1 Petr	Epistula I beati Petri apostoli
Prov	Liber Proverbiorum
Ps	Liber Psalmorum
1 Reg	Liber I Regum (= III Regum)
Rom	Epistula beati Pauli apostoli ad Romanos
Rut	Liber Ruth

1 et 2 Sam	Libri I et II Samuelis (= I et II Regum)
Sap	Liber Sapientiæ
Sir	Liber Siracidæ (Ben Sira = Ecclesiasticus)
Soph	Liber Sophoniæ prophetæ
1 et 2 Tim	Epistulæ I et II beati Pauli apostoli ad Timotheum
Tit	Epistula beati Pauli apostoli ad Titum
Tob	Liber Tobiæ
Zac	Liber Zachariæ prophetæ

II. Scripta Patrum

CSEL	Corpus scriptorum ecclesiasticorum Latinorum
PG	Patrologia Græca
PL	Patrologia Latina
SCh	Sources chrétiennes (Le Cerf, Paris)

III. Documenta Magisterii ecclesiastici

DV	Constitutio dogmatica de divina revelatione, *Dei Verbum*
MC	Paulus VI, Adhortatio apostolica *Marialis cultus*
LG	Constitutio dogmatica de Ecclesia, *Lumen gentium*
SC	Constitutio de sacra liturgia, *Sacrosanctum Concilium*

IV. Textus liturgici

All	Alleluia
Ant com	Antiphona ad communionem
Ant fin	Antiphona finalis de beata Virgine
Ant intr	Antiphona ad introitum
Ant Sex	Antiphona ad sextam
Co	Collecta
Ev	Evangelium
Hym	Hymnus
Ld	Ad Laudes matutinas
1 Lect	Lectio prima
LH	Liturgia Horarum

Of lect	Officium lectionis
OLM	Ordo Lectionum Missæ
Pc	Post communionem
Pf	Præfatio
Ps resp	Psalmus responsorius
So	Super oblata
Ver Ev	Versus ante Evangelium
Vp	Ad Vesperas

TEMPUS ADVENTUS



Angelus Domini nuntiavit Mariæ

Tempore Adventus liturgia Romana utrumque « Adventum Domini » celebrat: alterum in humilitate, cum in plenitudine temporum (cf. *Gal* 4, 4) Filius Dei, ex beata Maria Virgine carnem sumens, in mundum venit ad salvandos homines; alterum in gloria, cum in fine temporum ipse veniet « iudicare vivos et mortuos » (Professio fidei) et iustos in domum Patris ducere, ubi sancta Maria eos præcessit gloriosa.

FORMULARIA MISSARUM

1. Beata Maria Virgo, electa Israel progenies.
2. Beata Maria Virgo in annuntiatione Domini.
3. Visitatio beatæ Mariæ Virginis.

1

BEATA MARIA VIRGO ELECTA ISRAEL PROGENIES

Tempore Adventus liturgia Romana consilium salutis celebrat, quo misericors Deus Patriarchas vocavit ac sibi amoris fœdere ascivit, Legem per Moysen condidit, Prophetas suscitavit atque David elegit cuius ex stirpe oriretur mundi Salvator. Libri autem Veteris Testamenti, dum Christi adventum prænuntiant, « clarius pedetentim in lucem proferunt figuram mulieris, Matris Redemptoris » (LG 55), beatæ scilicet Virginis Mariæ, quam Ecclesia lætitiam Israel prædicat ac præcelsam Filiam Sion.

Beata Virgo Maria enim, quæ Evæ noxiam innocentia reparavit, « condicione filia est Adæ » (*Pf*); quæ, Angelo nuntianti credens, Filium Dei virgineo sinu concepit, « fide, semen est Abrahæ » (*Pf*); stirpe autem « virga est de radice Iesse » (*Pf*), ex qua flos germinavit, Iesus Christus Dominus noster.

Sancta Maria autem, Legi sincero corde obœdiens ac Dei voluntatem toto animo complectens, ut Concilium Vaticanum II admonet, « præcellit inter humiles ac pauperes Domini, qui salutem cum fiducia ab eo sperant et accipiunt. Cum ipsa tandem præcelsa Filia Sion, post diuturnam exspectationem promissionis, complentur tempora et nova instauratur Œconomia, quando Filius Dei humanam naturam ex ea assumpsit, ut mysteriis carnis suæ hominem a peccato liberaret » (LG 55).

Quod divinæ miserationis ac salutis mysterium hæc missa de beata Maria Virgine, electa Israel progenie, recolit atque celebrat.

Recte igitur in prima lectione commemoratur vel promissio Domini ad Abraham (« In te benedicentur omnes cognationes terræ »: *1 Lect*, Gen 12, 1-7; cf. Lc 1, 55) vel promissio ad David per Nathan prophetam facta (« Stabilis erit domus tua et regnum tuum usque in æternum ante faciem meam, et thronus tuus erit firmus iugiter »: *1 Lect*, 2 Sam 7, 1-5. 8b-11. 16; cf. Lc 1, 32-33); in evangelio autem proclamatur genealogia Iesu Christi (*Ev*, Mt 1, 1-17), ex qua ostenditur Salvatorem nostrum filium esse David et filium Abrahæ (cf. Mt 1, 1).

ANT. AD INTROITUM — Cf. Soph 3, 14; Ag 2, 8

Lætáre et exsúlta in omni corde,
Fília Ierúsalem:
ecce venit desiderátus cunctis géntibus,
et replébitur glória domus Dómini.

COLLECTA

Deus, qui beátam Vírginem Maríam,
inter húmiles et páuperes præcelléntem,
Matrem Salvatóris elegísti,
præsta, quǽsumus, ut, eius exémpla sectántes,
tibi sincéræ fídei præstémus obséquium
et in te totam spem salútis collocémus.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui promíssa Pátribus adímplens,
beátam Vírginem Maríam, præcélsam Fíliam Sion, elegísti,
concéde nobis illíus exémpla sectári,
quæ húmilis tibi plácuit,
obœ́diens nobis prófuit.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Accipe, Dómine, hæc múnera
et tua virtúte in sacraméntum salútis convérte,
in quo, cessántibus figurálibus Patrum hóstiis,
verus Agnus offértur, Iesus Christus Fílius tuus,
ex intácta Vírgine ineffabíliter natus.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Sancta Maria filia Adæ, semen Abrahæ, virga Iesse

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beátam Vírginem Maríam constituísti
culmen Israel et Ecclésiæ inítium,
ut cunctis pópulis patéret salútem ex Israel veníre
et novam famíliam tuam ex elécto stípite prodíre.

Ipsa enim condicióne fília est Adæ,
quæ culpam matris innocéntia reparávit;
fide, semen est Abrahæ,
quæ credéndo concépit;
stirpe, virga est de radíce Iesse,
ex qua flos ascéndit Iesus Christus Dóminus noster.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Gaude et lætáre, exsultátio Patriarchárum.
Gaude, quæ per ángelum gáudium mundi suscepísti.
Gaude, quæ nobis panem vitæ germinásti.

POST COMMUNIONEM

Refécti, Dómine, vitálibus sacraméntis,
te súpplices exorámus,
ut qui in Christo, ex alma Vírgine nato,
promíssa Pátribus profitémur impléta,
in áltero eius advéntu læti consequámur,
quæ adhuc implénda exspectámus.
Qui vivit.

2

BEATA MARIA VIRGO IN ANNUNTIATIONE DOMINI

Tempore Adventus liturgia cotidie recolit Gabrielis nuntium ad beatam Virginem Mariam: « Gabriel angelus locutus est Mariæ, dicens: "Ave, gratia plena; Dominus tecum; benedicta tu inter mulieres" » (*Ant Sex*); itemque cotidie supplicat: « Alma Redemptoris Mater, [...] Gabrielis ab ore sumens illud Ave, peccatorum miserere » (*Ant fin*).

Virginis consensus, qui secundum Dei beneplacitum, Incarnationem præcessit (cf. LG 56), maximi momenti est in historia salutis: incarnatio enim Verbi reparatio est hominis.

Quod salutis nostræ sacramentum liturgia Romana commemorat non solum in sollemnitate diei 25 martii sed, appropinquante Nativitate Domini, die 20 decembris maximeque Dominica IV Adventus Anni B; celebratio enim huius mysterii mire congruit cum temporis Adventus indole ac natura.

Quare missa de beata Maria Virgine in annuntiatione Domini peropportune adhibetur quotiescumque, tempore Adventus, memoria Matris Domini, iusta de causa, est celebranda.

In hoc formulario leguntur prophetia de virgine paritura (« Ecce, virgo concipiet et pariet filium »: *1 Lect*, Is 7, 10-14; 8, 10c) et nuntium Gabrielis ad Virginem Nazarethanam (« Ecce concipies in utero et paries filium »: *Ev*, Lc 1, 26-38).

Hæc missa celebrabatur olim Feria IV Temporum Adventus et propter pulchritudinem suam haud raro, in ætate quæ dicitur media, « missa aurea » est appellata.

Formularium invenitur in *Missali Romano*, Comm. beatæ Mariæ Virginis, tempore Adventus (pp. 673-674), præter præfationem, quæ sumpta est e missa sollemnitatis Annuntiationis Domini (die 25 martii), *ibid.* (p. 539).

ANT. AD INTROITUM Is 45, 8

Roráte, cæli, désuper,
et nubes pluant iustum;
aperiátur terra,
et gérminet Salvatórem.

COLLECTA

Deus, qui de beátæ Maríæ Vírginis útero
Verbum tuum, Angelo nuntiánte, carnem suscípere voluísti,
præsta supplícibus tuis,
ut, qui vere eam Dei Genetrícem crédimus,
eius apud te intercessiónibus adiuvémur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Altári tuo, Dómine, superpósita múnera
Spíritus ille sanctíficet,
qui beátæ Maríæ víscera sua virtúte replévit.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo cælestem nuntium fidenter audivit

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quem inter hómines et propter hómines nascíturum,
Spíritus Sancti obumbránte virtúte,
a cælésti núntio Virgo fidénter audívit
et immaculátis viscéribus amánter portávit,
ut et promissiónes filiis Israel perfíceret véritas,
et géntium exspectátio patéret ineffabíliter adimplénda.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Is 7, 14

Ecce Virgo concípiet, et páriet fílium,
et vocábitur nomen eius Emmánuel.

POST COMMUNIONEM

Mystéria quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
misericórdiam tuam in nobis semper osténdant,
ut Fílii tui incarnatióne salvémur,
qui Genetrícis eius memóriam fidéli mente celebrámus.
Per Christum.

3
VISITATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Salutis mysterium, cælestibus muneribus redundans, quo beata Virgo Maria, a Spiritu Sancto adumbrata et divino feta Verbo, Elisabeth visitavit, liturgia Romana semel atque iterum celebrat: in festo diei 31 maii, Ioannis nativitate appropinquante (die 24 iunii); sed et, intima quadam necessitate, tempore Adventus, die 21 decembris maximeque Dominica IV Anni C, imminente Natali Domini.

Quare missa de Visitatione beatæ Mariæ Virginis opportune adhibetur cum, tempore Adventus, memoria Matris Domini, iusta de causa, sit celebranda.

Beata Maria Virgo Elisabeth cognatam visitans mysterium salutis adumbrat quo Deus « visitavit et fecit redemptionem plebi suæ » (*Ant intr,* Lc 1, 68); itemque exemplar exsistit Ecclesiæ, quæ « divinis instructa sacramentis et Spiritu Sancto repleta » (*Pc*) cunctos populos visitat ut Christum « Salvatorem agnoscant » (*Pc*).

In hac missa beata Virgo celebratur tamquam:

— *nova Filia Sion,* quæ gremio (« in medio tui ») portat Dominum, Regem Israel (*1 Lect,* Soph 3, 14-18a);

— *nova fœderis arca,* quæ, Verbo feta, « salutem et gaudium domui Elisabeth » (*Co,* cf. 1 Chr 13, 14) affert;

— *nova creatura* a Spiritu Sancto plasmata (cf. *So,* cf. LG 56), quæ, « cælesti rore perfusa » (*So*), fructum edit salutis, Christum Iesum;

— *mater Domini,* ab Elisabeth, Præcursoris matre, « propheticis [...] verbis Spiritu movente prolatis » (*Pf*), agnita, quæ totam se devovet mysterio redemptionis;

— *mulier sancta* quæ, verbis Angeli monita, ad munera salutis explenda festinat et Deum magnificat grato laudis cantico (cf. *Ev,* Lc 1, 39-56); quæ eminet « in caritatis servitio » (*Pf*) et merito salutatur beata « ob fidem in promissam salutem » (*Pf,* cf. *All,* Lc 1, 45), cuius humilitatem Deus respexit (*Ant com,* Lc 1, 48) et omnes generationes prædicabunt.

ANT. AD INTROITUM Lc 1, 68-69a. 70

Benedíctus Dóminus Deus Israel,
quia visitávit et fecit redemptiónem plebi suæ
et eréxit cornu salútis nobis,
sicut locútus est per os sanctórum,
qui a sǽculo sunt, prophetárum eius.

COLLECTA

Salvátor hóminum Deus,
qui per beátam Vírginem Maríam, novi fœderis arcam,
salútem et gáudium dómui Elísabeth attulísti,
concéde, quǽsumus, ut, afflánti Spirítui obsequéntes,
et nos Christum frátribus valeámus portáre
et te láudibus magnificáre et morum sanctitáte.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Múnera nostra, quǽsumus, Dómine,
Spíritus ille sanctíficet,
qui beátam Vírginem Maríam novam plasmávit creatúram,
ut ex ipsa, cæléstì rore perfúsa,
fructus orirétur salútis, Iesus Christus Fílius tuus.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Sancta Maria beata ob fidem in promissam salutem

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Qui, prophéticis Elísabeth verbis Spíritu movénte prolátis,
fastígium nobis sanctæ Maríæ Vírginis manifestas.

Beáta enim ob fidem in promíssam salútem,
ipsa mérito salutátur,
et in caritátis servítio
mater Dómini a matre Præcursóris agnóscitur.

Unde Deíparæ Vírginis cántico
cum exsultatióne coniúngimur,
tuámque magnificámus humíliter maiestátem,
cum angelórum sanctorúmque turmis
sine cessatióne clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 1, 48

Respéxit humilitátem ancíllæ suæ,
ecce enim ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes.

POST COMMUNIONEM

Ecclésia tua, Dómine,
divínis instrúcta sacraméntis et Spíritu Sancto repléta,
ad cunctos pópulos læta festínet,
ut, eius verbum salútis audiéntes,
de perácta redemptióne exsúltent
et Christum tuum ómnium géntium Salvatórem agnóscant.
Qui vivit.

TEMPUS NATIVITATIS



Invenerunt Mariam et Ioseph et Infantem

Tempore Nativitatis Ecclesia mysteria infantiæ Christi Salvatoris celebrat necnon eius primas manifestationes. Quare in hoc tempore liturgico, quod festo Baptismatis Domini finitur, includitur tamen missa de manifestatione Domini in Cana Galilææ.

Beata Virgo autem, ex Dei consilio, mysteriis infantiæ et manifestationis Salvatoris mirum in modum interfuit: cum virginaliter genuit Filium, pastoribus et magis ostendit, in templo præsentavit et obtulit Domino; cum exsul Ægyptum petiit, amissum Puerum quæsivit, in domo Nazarethana cum illo et Ioseph sponso sanctam et operosam duxit vitam; cum denique in nuptiali convivio pro sponsis rogavit Filium, qui « fecit initium signorum [...] et manifestavit gloriam suam » (*Io* 2, 11).

Formularia missarum

4. Sancta Maria, Dei Genetrix.
5. Beata Maria Virgo, mater Salvatoris.
6. Beata Maria Virgo in epiphania Domini.
7. Sancta Maria in præsentatione Domini.
8. Sancta Maria de Nazareth.
9. Beata Maria Virgo de Cana.

4
SANCTA MARIA, DEI GENETRIX

Hæc missa « mirabile mysterium et inenarrabile sacramentum » (*Pf*) celebrat, quo misericors Pater Filium suum « e cælo in alvum sanctæ Virginis » (*Co* 1) misit (cf. S. Hyppolitus, *Traditio apostolica,* 4: SCh 11 bis, p. 48), ut nobis esset « verbum salutis et panis vitæ » (*Co* 1). Sed et fidem et humilitatem commemorat, quibus sancta Maria eum corde suscepit et « clausis portavit visceribus » (*Pf*). Unde humilis Virgo Nazarethana exemplar nobis fit, quod secuti, Filium Dei in nos recipiamus: « Christum sicut ipsa accipiamus, / eius verba corde retinentes / et salutis mysteria fide celebrantes » (*Co* 1) et consequenter eum « dignis iustitiæ operibus manifestemus » (*Co* 2), « confiteamur verbis et moribus teneamus » (*Pc*).

Textus huius missæ Sanctorum Patrum sermones et antiquæ liturgiæ voces maxime resonant:

— illam sancti Augustini († 431) sententiam, iuxta quam beata Virgo Maria Christum « prius mente quam ventre suscepit » (*Co* 2; *Sermo* 25, 7: PL 46, 937), unde eius fides et obœdientia exaltantur et spiritalis cum Filio declaratur propinquitas;

— illud sancti Bernardi († 1153) effatum, secundum quod beata Virgo « si [Deo] placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit » (*In laudibus Virginis Matris,* I, 5: *Opera omnia,* IV, ed. Cistercienses, Romæ 1966, p. 18).

Notanda autem est præfatio *Quia per mirabile mysterium,* quæ virginalem et salvificam maternitatem beatæ Mariæ Virginis mire extollit: « Duobus enim [sancta Maria] gavisa est muneribus: / miratur quod virgo concepit, / lætatur quod edidit Redemptorem ». Sacræ liturgiæ periti inter antiquissimas de beata Maria præfationes hanc enumerant: invenitur enim in Sacramentario Paduensi (*Pa* 387).

ANT. AD INTROITUM

Virgo Dei Génetrix,
quem totus non capit orbis,
in tua se clausit víscera factus homo.

Vel: Sedulius

Salve, sancta parens, eníxa puérpera Regem,
qui cælum terrámque regit in sǽcula sæculórum.

Collecta

Deus, qui Fílium tuum, verbum salútis et panem vitæ,
e cælo in alvum sanctæ Vírginis misísti,
concéde ut Christum sicut ipsa accipiámus,
eius verba corde retinéntes
et salútis mystéria fide celebrántes.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, cuius Fílium e cælo egréssum
sancta María prius mente quam ventre suscépit,
concéde nobis ut Christum,
quem fide suscépimus,
dignis iustítiæ opéribus manifestémus.
Qui tecum vivit.

Super oblata

Accépta sint tibi, Dómine, múnera pópuli tui,
in memória beátæ Vírginis obláta,
quæ tibi virginitáte plácuit
et humilitáte concépit Fílium tuum Dóminum nostrum.
Qui vivit.

Præfatio

Sancta Maria lætatur quod virgo edidit Redemptorem

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia per mirábile mystérium et inenarrábile sacraméntum
Unigénitum tuum Virgo sacra concépit,
et cæli Dóminum clausis portávit viscéribus:
quæ virum non cognóvit, mater est,
et post partum virgo est.
Duóbus enim gavísa est munéribus:
mirátur quod virgo concépit,
lætátur quod édidit Redemptórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Beáta víscera Maríæ Vírginis,
quæ portavérunt ætérni Patris Fílium.

POST COMMUNIONEM

Refécti, Dómine, cæléstibus alimóniis,
te súpplices exorámus
ut Fílium tuum, ex alma Vírgine natum,
quem sacraménto suscépimus
confiteámur verbis et móribus teneámus.
Qui vivit.

5

BEATA MARIA VIRGO, MATER SALVATORIS

Sub titulo *Beatæ Mariæ Virginis, Matris Salvatoris,* proponitur missa quæ invenitur in *Missali Romano,* Comm. beatæ Mariæ Virginis, tempore Nativitatis (pp. 674-675), cuius formulæ antiquitate præstant ac venustate; præfatio autem provenit e venerabili Sacramentario Veronensi (*Ve* 1247).

In hac missa, quæ Natalis Domini gaudio ac luce perfunditur, exaltantur:

— in primis munus maternum beatæ Mariæ Virginis erga Iesum Christum, qui agnoscitur Rex « cui nomen æternum » (*Ant intr*), Filius Dei (*Co, Pf, Pc*), « auctor vitæ » (*Co,* cf. Act 3, 15), « salutis nostræ sacramentum » (*Pf*), « lux gentium » (*Pf,* cf. Lc 2, 32), « sponsus » (*Pf,* cf. Ps 18 [19] A, 6), « Verbum caro factum » (*Ant com,* Io 1, 14);

— virginitas fecunda sanctæ Mariæ (cf. *Co*) seu eius maternitas virginalis, per quam Deus « salutis æternæ præmia » (*Co*) humano generi præstitit; necnon mirus modus quo, in beata Virgine, « gaudia matris cum virginitatis honore » (*Ant intr*) cohærent, ex quo sequitur eius singularis condicio et dignitas, quæ « nec primam similem visa est, / nec habere sequentem » (*Ant intr*);

— perennis intercessio Virginis Mariæ pro Populo Dei, quæ in divina maternitate fundatur: « ipsam pro nobis intercedere sentiamus, / per quam meruimus Filium tuum auctorem vitæ suscipere » (*Co*);

— Matris Domini exemplum, quod sequentes, fideles ea quæ sunt Dei « semper valeant perquirere et conservare » (*So*).

ANT. AD INTROITUM

Génuit puérpera Regem,
cui nomen ætérnum,
et gáudia matris habens cum virginitátis honóre:
nec primam símilem visa est,
nec habére sequéntem.

COLLECTA

Deus, qui salútis ætérnæ,
beátæ Maríæ virginitáte fecúnda,
humáno géneris prǽmia præstitísti,
tríbue, quǽsumus,
ut ipsam pro nobis intercédere sentiámus,
per quam merúimus Fílium tuum auctórem vitæ suscípere.
Qui tecum vivit.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, múnera quæ tibi offérimus,
et præsta,
ut corda nostra, Sancti Spíritus luce irradiáta,
exémplo beátæ Vírginis Maríæ,
tua semper váleant perquírere et conserváre.
Per Christum.

PRÆFATIO

Salvator ex Maria processit tamquam sponsus de thalamo

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Hoc præsértim témpore,
quo ab úteri virginális arcáno
ipsum salútis nostræ sacraméntum
in lucem géntium revelásti,

Iesum Christum Fílium tuum;
qui, tamquam sponsus procédens de thálamo suo,
Salvátor et Dóminus illúxit nobis,
ut nos de ténebris et umbra mortis eríperet
et regnum perpétuæ lucis effíceret.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Io 1, 14

Verbum caro factum est et habitávit in nobis,
plenum grátiæ et veritátis.

POST COMMUNIONEM

Incarnáti Verbi tui córpore et sánguine refécti,
quǽsumus, Dómine, ut hæc divína mystéria,
quæ in memória beátæ Vírginis Maríæ lætánter accépimus,
eiúsdem Fílii tui divinitátis partícipes
nos semper effíciant.
Per Christum.

6

BEATA MARIA VIRGO IN EPIPHANIA DOMINI

Tempore Nativitatis Domini Ecclesia mysterium celebrat *apparitionis* seu *manifestationis* Verbi Dei, hominis facti, ad universos populos: in primis ad Iudæos, quos humiles pastores, « Ecclesiæ ex Israel primitiæ » (*Pf*) repræsentant; deinde ad Gentes, quarum magi « prima virgulta » (*Pf*) exsistunt.

Hæc præsertim in missa notanda videntur:

— celebratio *lucis* significantis tum gloriam Dei Patris, quæ super Ierusalem orta est (cf. *1 Lect*, Is 60, 1-6), pastores circumfulsit (« tua claritate circumfusi », *Pf*, cf. Lc 2, 9) et miro modo, « stella coruscante prævia » (*Pf*, cf. *Ev*, Mt 2, 2. 9-10, *Ant com*), magos ad Christum perduxit; tum Iesum Christum, « gloriam Israel et lumen gentium » (*Co*, cf. Lc 2, 32), qui a Patre mundo manifestatus (cf. *Co*) gloriam Patris ipse mundo manifestavit (cf. *So*);

— celebratio *muneris salvifici* Christi. Plurimi iidemque maximi momenti sunt « tituli christologici », qui in hoc formulario inveniuntur: Christus est Filius Dei (cf. *Co*, *Pc*) et Filius Virginis (cf. *So*, *Pf*); « magnitudo Dei et virtus », « Excelsus » qui « voluit [...] nasci humilis » (*Ant intr*); « unus Mediator et omnium Salvator » (*Co*), cuius nativitate salvamur (cf. *Pc*), cuius vita in hominum salutem tota est impensa (cf. *So*). Unde pastores in Filio humilis Ancillæ « Christum Salvatorem agnoscunt » (*Pf*) et magi in Puero cum Matre invento « Deum adorant, Regem proclamant, Redemptorem fatentur » (*Pf*);

— celebratio *mysterii Ecclesiæ*, quam sancta civitas Ierusalem adumbrat (cf. *1 Lect*, Is 60, 1-6) et domus, ubi Puer cum Matre invenitur, significare videtur (cf. *Ev*, Mt 2, 11); quæ fide in Christum fundatur (cf. *Co*) et ex Israel et ex Gentibus æque congregatur (cf. *Pf*), cum Pater « ad fidem Evangelii cunctas » attrahat « familias populorum » (*Pf*);

— celebratio *ministerii Virginis* in Domini epiphania, quod nonnulli textus perspicue declarant: « Claruit magnitudo Dei, / et virtus apparuit per Virginem » (*Ant intr*); « Filium tuum [...] per beatam Virginem mundo manifestasti » (*Co*); « per beatæ Virginis ministerium / ad fidem Evangelii cunctas attrahis familias populorum » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM

Cláruit magnitúdo Dei,
et virtus appáruit per Vírginem,
quóniam sic vóluit Excélsus nasci húmilis,
ut in ipsa humilitáte osténderet maiestátem.

Collecta

Deus, qui Fílium tuum,
glóriam Israel et lumen géntium,
per beátam Vírginem mundo manifestásti,
præsta, quǽsumus, ut eius mónita et exémpla sectántes,
nostram fidem in Christum roborémus
et eum unum Mediatórem agnoscámus
et ómnium Salvatórem.
Qui tecum vivit.

Super oblata

Cónsecra, Dómine, virtúte Spíritus Sancti,
múnera in memória sanctæ Maríæ tibi lætánter obláta,
ut nobis corpus et sanguis Christi fiant,
qui natus ex alma Vírgine Matre,
tuam glóriam manifestávit
et totam vitam in hóminum salútem impéndit.
Qui vivit.

Præfatio

Per Virginis ministerium Christus mundo manifestatur

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia per beátæ Vírginis ministérium
ad fidem Evangélii cunctas áttrahis famílias populórum:
pastóres enim, Ecclésiæ ex Israel primítiæ,
tua claritáte circumfúsi et angélicis vócibus móniti,
Christum Salvatórem agnóscunt.

Sed et magi, Ecclésiæ ex Géntibus prima virgúlta,
grátia tua impúlsi, stella coruscánte prævia,
páuperem ingrediúntur domum,
ubi, Púerum cum Matre invéntum
Deum adórant, Regem proclámant, Redemptórem faténtur.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Mt 2, 2

Vídimus stellam eius in Oriénte,
et vénimus cum munéribus adoráre Dóminum.

POST COMMUNIONEM

Mystéria quæ súmpsimus, Dómine Deus noster,
misericórdiam tuam in nobis semper osténdant,
ut Fílii tui nativitáte salvémur,
qui Genetrícis eius memóriam fidéli mente celebrámus.
Qui vivit.

7
SANCTA MARIA IN PRÆSENTATIONE DOMINI

In hac missa quæ, servatis de iure servandis, opportune celebratur sabbato vel feriis propinquioribus diei 2 februarii, munus salutare recolitur beatæ Mariæ Virginis in mysterio præsentationis Domini (cf. Lc 2, 27-35).

Sancta Maria, quæ in hoc salutis mysterio « Virgo Filia Sion » (*Pf*) salutatur:

— iuxta legem Moysis (cf. Lev 12, 1-8) ritui purificationis puerperæ se subiecit, quæ, « Virgo purissima, e gremio virginali, pure » genuisset « æterni Patris Filium » (*Ant intr*);

— legem primogenitorum (cf. Ex 13, 1-2) rite adimplevit, pauperum munere (cf. Lc 2, 24; *So*) Filium redimens, « novæ legis Auctorem » (*Co*), « omnium nostrum redemptorem » (*So*), « gloriam plebis [...] Israel et lumen omnium gentium » (*Pf;* cf. Lc 2, 32), necnon « Dominum [...] et Salvatorem mundi » (*Ant com*);

— « salvificæ dispensationis ministra » (*Pf*) effecta, in Filio « Agnum immaculatum [...] in ara crucis pro nostra immolandum salute » (*Pf*) agnovit et Patri obtulit.

Hæc missa prophetiam Simeonis recolens, qui Puerum signum fore contradictionis et Matris cor doloris gladium transfixurum prædixit (cf. Lc 2, 34-35), celebrat quoque beatam Virginem cum Filio in opere salutis arcte consociatam: « Filium et Matrem unus sociat amor. / unus iungit dolor unaque tibi placendi movet voluntas » (*Pf*).

In his salutis adimplendis muneribus, beata Virgo Maria præclarum exsistit Ecclesiæ exemplar. Unde Patrem rogamus ut Ecclesia virgo, « virgini Mariæ similis » (*Pc*), Ancillæ Domini (cf. Lc 1, 38) exemplo, « intaminatam servet fidem, / supernam roboret spem, / ardentem nutriat caritatem » (*Co*), « sincero corde » Domino « deserviat » (*Pc*) atque « fidei lampade accensa, / venienti Sponso læta occurrat » (*Pc;* cf. Mt 25, 1. 4).

ANT. AD INTROITUM

Ave, Virgo puríssima,
quæ e grémio virgináli,
pure genuísti ætérni Patris Fílium.

Collecta

Novum amóris fœdus, Dómine,
virgo Ecclésia íntegrum custódiat
et, húmilis Ancíllæ tuæ exémplo,
quæ tibi novæ legis Auctórem in templo præsentávit,
intaminátam servet fidem,
supérnam róboret spem,
ardéntem nútriat caritátem.
Per Dóminum.

Super oblata

Accéptæ sint tibi, Dómine, preces et hóstiæ
in commemoratióne beátæ Vírginis lætánter oblátæ,
quæ ad rediméndum Fílium,
ómnium nostrum redemptórem,
páuperum munus óbtulit.
Qui vivit.

Præfatio

Beata Virgo Maria, salvificæ dispensationis ministra

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
in hac memória beátæ Vírginis Maríæ.

Hæc est Virgo Fília Sion,
quæ legem adímplens, in templo tibi sistit Fílium,
glóriam plebis tuæ Israel et lumen ómnium géntium.

Hæc est Virgo, salvíficæ dispensatiónis minístra,
quæ tibi Agnum immaculátum offert,
in ara crucis pro nostra immolándum salúte.

Hæc est Virgo Mater,
gaudens de Prole benedícta,
dolens de Senis prophetía,
exsúltans de pópulo tuo occurrénte Salvatóri.

Sic, Dómine, te disponénte,
Fílium et Matrem unus sóciat amor,
unus iungit dolor unáque tibi placéndi movet volúntas.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus, in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Subsístit Virgo,
addúcens mánibus Fílium ante lucíferum génitum,
quem accípiens Símeon in ulnas suas,
prædicávit pópulis Dóminum esse et Salvatórem mundi.

POST COMMUNIONEM

Percépti sacraménti virtúte,
virgo Ecclésia, vírgini Maríæ símilis,
tibi sincéro corde desérviat,
Spíritus vocem obáudiat,
ac, fídei lámpade accénsa,
veniénti Sponso læta occúrrat.
Qui vivit.

8
SANCTA MARIA DE NAZARETH

Vita abscondita, quam Iesus in pago Nazareth duxit, mysterium est salutis et sanctæ conversationis documentum: in domo Nazarethana enim Salvator noster, Mariæ et Ioseph subditus (cf. Lc 2, 51), maiorem partem sui terrestris incolatus deguit. Quod salutis mysterium liturgia Romana recolit præsertim dominica infra octavam Nativitatis Domini cum festum *Sanctæ Familiæ Iesu, Mariæ et Ioseph* celebrat. Nonnullæ autem Ecclesiæ particulares et Instituta religiosa Christi Matrem titulo « Sancta Maria de Nazareth » cultu quoque liturgico venerantur. Quo titulo munus in primis commemoratur quod beata Virgo, Nazareth commorans, pro Filio eiusque salutis opere explevit.

In hac ergo missa, quæ duplicem seriem lectionum exhibet, celebrantur:

— *mysterium incarnationis Verbi* (cf. *Pf, Co*) eiusque exinanitio, nam « ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege » (*1 Lect,* Gal 4, 4-7; cf. *Co*), qui Nazareth, verus puer, « crescebat et confortabatur plenus sapientia » (*Ev* 1, Lc 2, 41-52); « et erat subditus » parentibus (cf. *Ant com,* Lc 2, 51);

— *sancta Matris cum Filio conversatio*: in Nazarethana enim domo « beata Mater fit discipula Filii », « primitias Evangelii » suscipit, quas « in corde servat ac mente revolvit » (*Pf*);

— *virginalis consuetudo Mariæ cum Ioseph*: ipsi enim « arctissimo virginalique amoris vinculo » (*Pf*) iuncti, in humili vita orationis, silentii, laboris (cf. *Pf*), in gaudio (cf. *Ant intr*), in dolore (cf. *Ev* 2, Lc 2, 41-52), in Christi institutione (cf. *Ant com,* Lc 2, 51) consortes exsistunt;

— *Regnum Dei,* quod in Familia Nazarethana iam præsens est et operatur, quodque « silenti opere » (*Pc*) necnon discipulorum vita in Christo abscondita (cf. *Co,* Col 3, 3) ædificatur in terris.

ANT. AD INTROITUM — Prov 23, 24a. 25

Exsúltat gáudio pater iusti,
gáudeat pater tuus et mater tua,
et exsúltet, quæ génuit te.

COLLECTA

Dómine, sancte Pater,
qui mira dispensatióne voluísti
Fílium tuum ex mulíere nasci eíque esse subiéctum,
concéde nos incarnáti Verbi mystérium áltius penetráre
et cum ipso abscónditam in terris dúcere vitam
donec, a Vírgine Matre comitáti,
domum tuam læti íngredi mereámur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Múnera tibi placatiónis et laudis offérimus, Dómine,
humíliter deprecántes,
ut, Vírginis Nazarethánæ sequéntes exémpla,
nosmetípsos exhibeámus hóstiam sanctam, tibi placéntem.
Per Christum.

PRÆFATIO

De beatæ Virginis conversatione in domo Nazarethana

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
in hac celebratióne gloriósæ Vírginis Maríæ.

Quæ Názareth núntium Gabriélis fide suscípiens,
Fílium tuum, quem ab ætérno genuísti,
in témpore nobis génerat salvatórem et fratrem.

Ibi, íntime cum Fílio conversáta,
Ecclésiæ fovet primórdia
et nobis tradit præclára vitæ documénta.

Ibi beáta Mater, facta discípula Fílii,
primítias Evangélii súscipit,
in corde servat et mente revólvit.

Ibi puríssima Virgo, Ioseph viro iusto
arctíssimo virginalíque amóris vínculo iuncta,
te célebrat cánticis, adórat siléntio,
te laudat vita, labóre gloríficat.

Et ídeo cum Sanctis et Angelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 2, 51

Descéndit Iesus cum eis
et venit Názareth
et erat súbditus illis.

POST COMMUNIONEM

Quos cæléstibus, Pater sancte, réficis sacraméntis,
propítius intuére,
ut, beátæ Vírginis Maríæ exémplis roboráti,
Regnum tuum silénti ópere ædificántes in terris,
eo cum Fílio tuo indesinénter fruámur in cælis.
Qui vivit.

9

BEATA MARIA VIRGO DE CANA

« Signum Canæ », secundum evangelicam narrationem (Io 2, 1-12), ad mysterium manifestationis Domini pertinet. Itaque liturgia Romana illud quotannis commemorat in sollemnitate Epiphaniæ Domini: « Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus: hodie stella magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias; hodie in Iordane a Ioanne Christus baptizari voluit, ut salvaret nos, alleluia » (LH *6 ian II Vp ant Magn*); sed tempore quoque « per annum », Dominica II Anni C, hoc « initium signorum » intento celebrat animo. In hac manifestatione Domini beata Virgo actuose adfuit, quare liturgia eam una cum Filio recolit, canens: « per te Filius tuus initium fecit signorum; / per te Sponsus novum vinum Sponsæ paravit; / per te in Magistrum crediderunt discipuli » (*Ant com*).

In hac ergo missa Dominus Iesus, Ecclesia quæ e signo Canæ coalescit, beata Virgo Maria una celebrantur:

— in primis *Christus Dominus*, qui Canæ, mirando signo, gloriam suam manifestavit et se exhibuit: Messian a Deo promissum (cf. *Pf*); Magistrum, cui discipuli fide adhærent (cf. *Ant intr, Ev, Ant com*); Dominum, cuius mandata ministri exsequuntur (cf. *Pf*); novum Moysen (cf. *1 Lect*, Ex 19, 3-8a), novi æternique fœderis Auctorem; Sponsum, qui pro Ecclesia sponsa, hora præsignata, « vitam ponet in cruce » (*Pf*), ubi ex aperto latere sanguis et aqua manabunt, redemptionis symbola;

— deinde *Ecclesia* seu communitas discipulorum, qui Christo fide adhærent (cf. *Pc*), eius obœdiunt præceptis (cf. *Co, Pf*), fratrum necessitatibus communicant et « concordia animorum » Regni præveniunt adventum (cf. *Pc*); Sponsa dilecta, cui Sponsus cotidie parat nuptiale convivium (cf. *Pf*);

— denique *Mater Iesu*, quæ « mira dispensatione » Dei Patris « mysteriis nostræ salutis » (*Co*) interfuit. Beata Virgo Maria autem salutifero munere quod, in diebus carnis suæ, Canæ pro sponsis ac discipulis explevit, nunc gloriosa regnans in cælis, pro tota fungitur Ecclesia: de bono hominum sollicita Filium exorat ut eorum necessitatibus subveniat (cf. *Pf*); homines vero iubet id agere « quod Filius [...] in Evangelio docuit agendum » (*Co*). Immo, secundum liturgiæ sensum, hoc tenendum est: Matrem Iesu, quæ adfuerit convivio nuptiali Canæ, eucharistico adesse Ecclesiæ nuptiali convivio. Quare communitas fidelium cotidie Eucharistiam celebrat cum gloriosa Virgine Maria in primis communicando.

ANT. AD INTROITUM Cf. Io 2, 1. 11

Núptiæ factæ sunt in Cana Galilǽæ,
et erat mater Iesu ibi:
Christus manifestávit glóriam suam,
et credidérunt in eum discípuli eius.

COLLECTA

Dómine, sancte Pater,
qui, mira dispensatióne,
beátam Vírginem mystériis nostræ salútis interésse voluísti,
præsta, quǽsumus,
ut, verbis eiúsdem Christi Matris obsequéntes,
id agámus quod Fílius tuus in Evangélio dócuit agéndum.
Qui tecum vivit.

SUPER OBLATA

Hæc múnera tibi, Dómine, lætánter obláta,
in corpus et sánguinem convérte Iesu Christi, Fílii tui,
qui, a Matre rogátus,
mirándo signo aquam in vinum mutávit
et horam præsignávit suæ gloriósæ passiónis.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Beata Virgo ministros iubet Christi exsequi mandata

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

[5] (Coll. Miss.)

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
in hac celebratióne gloriósæ Vírginis Maríæ:

Quæ, de sponsis sollícita, Fílium exórat
et minístros iubet illíus éxsequi mandáta:
rubéscunt hýdriæ, lætántur convívæ
et illud nuptiále adumbrátur convívium,
quod Christus Ecclésiæ parat cotídie.

Quo mirándo signo
témporis messiánici nuntiátur advéntus,
Spíritus sanctitátis prædícitur effúsio,
sed et mýstica præsignátur hora,
qua Christus semetípsum ornábit púrpura passiónis
et pro Ecclésia sponsa vitam ponet in cruce.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Beáta es, Virgo María:
per te Fílius tuus inítium fecit signórum;
per te Sponsus novum vinum Sponsæ parávit;
per te in Magístrum credidérunt discípuli.

POST COMMUNIONEM

Córporis et sánguinis sacro repléti libámine,
quǽsumus, Dómine, ut, exémplum beátæ Vírginis secúti,
Christo tuo fide adhæréntes
atque Ecclésiæ necessitátibus communicántes,
concórdia animórum Regni tui præveniámus advéntum.
Per Christum.

TEMPUS QUADRAGESIMÆ



Stabant iuxta crucem Iesu Mater et Discipulus

Tempore Quadragesimæ fideles verbum Dei abundantius audientes, orationi vacantes, pænitentiam agentes, memoriam baptismi recolentes atque Christum sequentes in itinere crucis, ad Pascham celebrandam rite præparantur. In hoc « itinere quadragesimali » sacra liturgia beatam Virginem fidelibus proponit tamquam exemplar discipuli qui verbum Dei fideliter audit et Christi vestigia premens ad « Calvariæ locum » pergit, ut cum eo commoriatur (cf. *2 Tim* 2, 11). Expleta autem Quadragesima, in Triduo paschali beata Virgo fidelibus exhibetur ut nova Eva seu « mulier nova » quæ, apud lignum vitæ sistens (cf. *Io* 19, 25), Christo, « novo homini », est sociata, necnon ut mater spiritalis, cuius maternæ curæ Dominus cunctos discipulos commendavit (cf. *Io* 19, 26).

Formularia missarum

10. Sancta Maria, discipula Domini.
11. Beata Maria Virgo iuxta crucem Domini (I).
12. Beata Maria Virgo iuxta crucem Domini (II).
13. Commendatio beatæ Mariæ Virginis.
14. Beata Maria Virgo, mater reconciliationis.

10

SANCTA MARIA, DISCIPULA DOMINI

Tempus Quadragesimæ « iter » est quod fideles, « instantius verbum Dei audientes et orationi vacantes » (SC 109) necnon crucem promptiore ferentes animo (cf. Lc 14, 27), percurrunt ut, purificatis mentibus, perveniant ad paschalia festa digne celebranda. Hoc modo veri exsistunt Christi discipuli, qui eius verba audiunt et retinere satagunt (cf. Lc 8, 15), semetipsos abnegantes eius vestigia sequuntur (cf. Mt 16, 24) atque student iuxta crucem eius fideliter adstare (cf. Io 19, 26).

Quamobrem si, iusta de causa, tempore Quadragesimæ celebratur missa de beata Virgine Maria opportune sumitur hoc formularium, in quo Mater Domini colitur ut « exemplar [...] discipuli verba vitæ fideliter custodientis » (*Co*). Beata Virgo enim quæ, singulari Dei munere, mater fuit Christi, potissima ratione eius quoque « prima exstitit et perfectissima [...] discipula » (MC 35).

Hæc missa momentum « verbi Dei » seu « verbi salutis » in discipulorum vita ostendit (cf. *Co, Pc*), divinam sapientiam pro eis implorat (cf. *So*), immaculatam legem Domini eiusque iusta iudicia extollit (*Ps resp,* cf. Ps 18 [19], 8-11), Cor Virginis custodientis verba Domini præ fidelium oculis ponit (*Ant intr, Ev,* Lc 2, 41-52) ut eius exempla sectentur (cf. *Pc*).

Inter textus euchologicos eminet præfatio *Cuius mater, gloriosa Virgo Maria,* ubi quodammodo resonat vox Christi ad laudem mulieris anonimæ (« Beatus venter, qui te portavit, et ubera quæ suxisti! »), respondentis: « Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei et custodiunt! » (Lc 11, 27-28); necnon retinnit illa sententia sancti Augustini locum Evangelii explanantis « Quæ est mater mea? » (Mc 3, 33): « Fecit, fecit plane voluntatem Patris sancta Maria, et ideo plus est Mariæ discipulam fuisse Christi, quam matrem fuisse Christi; plus est felicius discipulam fuisse Christi quam matrem fuisse Christi » (*Sermo* 25, 7: PL 46, 937).

ANT. AD INTROITUM

Beáta es, María, quæ núntium Angeli suscípiens,
facta es mater divíni Verbi;
beáta tu, quæ cæléstia verba tácita cónferens,
facta es divíni Verbi discípula.

COLLECTA

Dómine Deus noster,
qui in beáta Vírgine María exémplar nobis dedísti
discípuli verba vitæ fidéliter custodiéntis,
áperi, quǽsumus, corda nostra
ad suscipiéndum verbum salútis,
quod, Spíritus Sancti virtúte,
in nobis cotídie résonet et ubérrimos gérminet fructus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Propítius intuére, Dómine, múnera tibi gratánter obláta
in memória beátæ Vírginis, Fílii tui matris et discípulæ;
et concéde ut grátiam et sapiéntiam,
quas nostris víribus obtinére non præsúmimus,
per ea abundánter consequámur.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo, incarnati Verbi discipula, felix prædicatur

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Cuius mater, gloriósa Virgo María,
iure proclamátur beáta,
quia Fílium tuum castis méruit generáre viscéribus;
sed mérito felícior prædicátur,
quia, incarnáti Verbi facta discípula,
voluntátem tuam sédula quæsívit
et adimplévit fidélis.

Et ídeo, cum innúmeris Angelis,
una te magnificámus voce, dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 11, 28

Beáti qui áudiunt verbum Dei et custódiunt!

POST COMMUNIONEM

Repléti, Dómine, sacraméntis et gáudiis,
te supplíciter implorámus,
ut, beátæ Vírginis exémpla sectántes,
veri inveniámur Christi discípuli,
qui eius verba séduli áudiant et custódiant fidéles.
Qui vivit.

11

BEATA MARIA VIRGO IUXTA CRUCEM DOMINI

I

Progrediente Quadragesimæ tempore, quod ad instar itineris Iesu ad sanctam civitatem Ierusalem, locum oblationis sui, est dispositum, frequentior fit contemplatio mysterii passionis Christi; unde frequentior quoque fit, in fidelium corde, memoria compassionis beatæ Mariæ Virginis.

In *Propriis* et Ecclesiarum particularium et Institutorum religiosorum plura inveniuntur formularia quæ celebrant Matrem passionem Filii participantem. Formularium quod hic proponitur provenit, præter præfationem, e *Proprio missarum Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis*, Curia Generalis OSM, Romæ 1972, pp. 24-27.

Missæ textus mysterium illustrant Christi passionis, quæ « in eius membris, / infinitis vitæ ærumnis vexatis » (*Co*), arcano modo adhuc perficitur; quare verba Apostoli « Adimpleo ea quæ desunt passionum Christi in carne mea, pro corpore eius quod est Ecclesia » (*Ant com*, Col 1, 24) recte in hac celebratione usurpantur.

Sancta Maria, « cæli Regina et mundi Domina » (*Ver Ev*), iuxta crucem Filii stetit (cf. *Ant intr*, *Ev*, Io 19, 25-27), « perdolens » (*Co*), « dolorosa » (*Ver Ev*) eademque « intrepida » et « fidelis » (*Pf*), pluribus fungens salutis muneribus atque « antiquas adimplens figuras » (*Pf*). Nam apud Filium in cruce moriturum beata Virgo exstitit:

— *redemptionis administra* (cf. *So*), « compatiens mater » sacrificio Filii, summi sacerdotis, sociata (cf. *Pc*);

— *nova Eva*, in qua prophetia de munere salvifico « Mulieris » (cf. Gen 3, 15; Io 19, 26; Ap 12, 1) est adimpleta: sicut prima mulier contulerat « ad mortem », ita altera — Maria — contulit « ad vitam » (cf. *Pf*, LG 56);

— *Mater Sion*, quam omnes populi salutant, dicentes: « Omnes fontes mei in te » (Ps 86 [87], 7), nam « dispersos homines, Christi morte congregatos » (*Pf*, cf. Io 11, 52), materno suscepit amore;

— *exemplar Ecclesiæ*, quæ « intrepidam Virginem contemplans, / fidem Sponso datam integram servat » (*Pf*, cf. LG 64).

ANT. AD INTROITUM — Io 19, 25

Stabant iuxta crucem Iesu Mater eius
et soror Matris eius María Cléophæ et María Magdaléne.

COLLECTA

Deus, qui passiónem Christi tui in eius membris,
infinítis vitæ ærúmnis vexátis,
arcáno pérficis consílio,
concéde, quǽsumus, ut, sicut Fílio tuo in cruce moriénti,
perdoléntem Matrem astáre voluísti,
ita et nos, beátam Vírginem imitáti,
frátribus laborántibus caritáte et solácio semper adsímus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Oblatiónes famíliæ tuæ, Dómine, cleménter assúme,
et in sacraméntum humánæ redemptiónis convérte,
cuius generósa Virgo, in ara crucis,
éxstitit adminístra.
Per Christum.

PRÆFATIO

Iuxta crucem Filii Mater sistit fidelis

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia providénti consílio statuísti
ut iuxta crucem Fílii Mater sísteret fidélis,
antíquas adímplens figúras
et nova præbens documénta vitæ.

Ibi enim beáta Virgo nova fulget Eva,
ut, sicut múlier cóntulit ad mortem,
ita múlier conférret ad vitam.

Ibi dispérsos hómines, Christi morte congregátos,
matérno suscípiens amóre,
Matris Sion adímplet mystérium.

Ibi exémplar exsístit Ecclésiæ sponsæ,
quæ, intrépidam Vírginem contémplans,
fidem Sponso datam íntegram servat,
nec pertérrita minis nec persecutiónibus fracta.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus, in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM — Col 1, 24

Adímpleo ea quæ desunt passiónum Christi in carne mea,
pro córpore eius quod est Ecclésia.

POST COMMUNIONEM

Sumpto salútis pígnore,
súpplices te, Dómine, adprecámur,
ut Paráclitus Spíritus in Ecclésia tua superabúndans,
in univérsas gentes affluénter redúndet;
quem, sacrifício crucis, compatiénte Matre,
Christus, summus sacérdos, proméruit.
Qui vivit.

12

BEATA MARIA VIRGO IUXTA CRUCEM DOMINI II

Hæc missa salutiferam Christi passionem celebrans, partem quoque excolit quam beata Virgo in comparanda hominum salute habuit. Maria enim cum, « divino fecundante Spiritu » (*Pf*), facta esset mater Christi, novo divinæ pietatis dono facta est « socia passionis » (*Pf*) et « compatiens mater » (*Co* 1, *Co* 2).

Initio missæ Simeonis prophetia resonat, qui una eademque voce Filii et Matris sortem complectens, Christum nuntiat fore contradictionis signum et Virginis animam doloris gladium transfixurum (*Ant intr*, Lc 2, 34-35).

In textibus autem euchologicis consilium salutis recolitur, quo Deus « Filio [...] patienti compatientem Matrem » (*Co* 1, cf. *Co* 2) sociavit atque « novam Evam iuxta crucem novi Adami astare » voluit (*Pf*).

Beata Virgo, propter salvificam compassionem, recte celebratur, quæ « fide munita, spe roborata, igne caritatis adusta » (*Ver Ev*) iuxta crucem Domini stetit (*Ev*, Io 19, 25-27); ibi non pepercit animæ suæ propter humilitatem populi sui (*1 Lect*, Iudt 13, 17-20); dolores autem, quos « Filium generando non senserat », gravissimos sustinuit homines ad vitam divinam regenerando (cf. *Pf*); quare fideles eam glorificant, dicentes: « Felices sensus beatæ Mariæ Virginis, / qui sine morte meruerunt martyrii palmam / sub cruce Domini » (*Ant com* 1).

Sed quod in Christi passione rerum veritate est factum, nunc in mysterio celebratur; itaque deprecamur ut « per altaris sacrificium, cui Virgo sociatur, / et nostra deleantur peccata / et cælorum ianua nobis reseretur » (*So*). Fideles vero « communicantes Christi passionibus » gaudeant, « ut et in revelatione gloriæ eius » exsultent (*Ant com* 2, 1 Petr 4, 13) atque « cotidianam crucem ferentes, / Christi resurrectionis » mereantur « esse consortes » (*Pc*).

Formularium provenit e *Proprio missarum Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis*, Curia Generalis OSM, Romæ 1972, pp. 57-60.

ANT. AD INTROITUM Lc 2, 34-35

Dixit Símeon ad Maríam:
Ecce, pósitus est hic in ruínam
et in resurrectiónem multórum in Israel,
et in signum cui contradicétur;
et tuam ipsíus ánimam pertransíbit gládius.

COLLECTA

Deus, qui ad humánam substántiam
diabólica fraude decéptam mirabíliter reparándam
Fílio tuo patiénti compatiéntem Matrem sociásti,
da pópulis tuis,
ut vetustátem depónant peccáto contráctam
et novitátem índuant restauratióne proméritam.
Per Dóminum.

Vel:

Deus, qui Fílio tuo pendénti in cruce,
compatiéntem Matrem astáre voluísti,
custódi in progénie tua tanti óperis fructus
eósque in dies benígnus adáuge.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Múnera nostra, quǽsumus, Dómine,
Sancti Spíritus igne propitiátus absúme,
ut, per altáris sacrifícium, cui Virgo sociátur,
et nostra deleántur peccáta
et cælórum iánua nobis reserétur.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo, divinæ pietatis dono, facta est socia passionis

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim, ad humánam sóbolem
sapiénti consílio reformándam
novam Evam iuxta crucem novi Adámi astáre voluísti:
ut quæ, divíno fecundánte Spíritu, facta erat mater,
novo tuæ pietátis dono fíeret sócia passiónis;
et quæ dolóres Fílium generándo non sénserat,
nos tibi regenerándo gravíssimos sustinéret.

Et ídeo cum Angelis et Archángelis,
cum Thronis et Dominatiónibus,
hymnum glóriæ tuæ cánimus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Felíces sensus beátæ Maríæ Vírginis,
qui sine morte meruérunt martýrii palmam
sub cruce Dómini.

Vel: 1 Petr 4, 13

Communicántes Christi passiónibus, gaudéte,
ut et in revelatióne glóriæ eius gaudeátis exsultántes.

POST COMMUNIONEM

Tuére nos, Dómine, fámulos tuos,
quos, compassiónem beátæ Vírginis recoléntes,
paschálibus satiásti sacraméntis,
et concéde ut, cotidiánam crucem feréntes,
Christi resurrectiónis mereámur esse consórtes.
Qui vivit.

13

COMMENDATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Verba Iesu in cruce morientis « Ecce filius tuus ... Ecce mater tua » (Io 19, 26-27) Ecclesia accipit ut peculiare testamentum, quo Christus Dominus Virgini Matri « universos discipulos commendavit in filios » (Leo XIII, Epist. encyclica *Octobri mense*: ASS 24 [1891-1892] p. 195), Matrem vero discipulis colendam commisit. Unde « inter beatam Virginem et fideles discipulos / arctum instauratur amoris vinculum » (*Pf*), quod hæc missa extollit atque celebrat.

Commendatio discipulorum. Deus in primis glorificatur, « qui habitare facit beatam Virginem in Ecclesia / matrem filiorum lætantem » (*Ant intr,* cf. Ps 112 [113], 9); sancta Maria « mater credentium » (*Pf*) vocatur, ad quam fideles securi confugiunt (cf. *Pf*), et semel atque iterum commemoratur Iesus Christus, qui « nos Virgini Matri concredidit filios » (*Pc,* cf. *Co, So, Pf*). « Commendatio » vero pars est mysterii passionis Christi et compassionis Virginis; quare liturgia beatam Virginem recolit, quæ « ante crucem [...] spectabat piis oculis Filii vulnera, / per quem sciebat omnibus futuram redemptionem » (*Ver Ev*) atque in eius ore verba Apostoli ponit: « Omnia sustineo propter electos, ut et ipsi salutem consequantur, quæ est in Christo Iesu cum gloria æterna » (*Ant com,* 2 Tim 2, 10); Mariam autem spectans, liturgia fidelibus proponit exemplum mirabilis matris Maccabæorum, quæ « pereuntes filios conspiciens bono animo ferebat propter spem quam in Deum habebat » (*1 Lect,* 2 Mac 7, 1. 20-29).

Commendatio Virginis. Sed et Virgo amori et curæ dilecti discipuli a Christo est commendata: « Iste est Ioannes, cui Christus in cruce Matrem Virginem virgini commendavit » (LH *27 dec Ld ant 2*); in Ioanne autem Christus omnes discipulos « sui amoris erga Matrem subrogavit vicarios » (*So,* cf. *Ve* 1276), qui eam « accipiunt pretiosam Magistri hereditatem » (*Pf*) atque Virginis monita audientes (cf. *Pf,* Io 2, 5), seduli « verba custodiunt Magistri » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM — Cf. Ps 112 (113), 4. 9

Excélsus super omnes gentes Dóminus,
super cælos glória eius.
Qui habitáre facit beátam Vírginem in Ecclésia
matrem filiórum lætántem.

COLLECTA

Dómine, sancte Pater,
qui in pascháli mystério salútem humáni géneris statuísti,
concéde nobis inter adoptiónis fílios numerári,
quos Iesus Christus, in cruce móriens,
Vírgini Matri commendávit.
Qui vivit.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, hæc múnera lætánter obláta,
ut corpus et sanguis fiant Dómini nostri Iesu Christi,
qui, crucis ligno affíxus,
in Ioánne univérsos discípulos
Vírgini commendávit in fílios
et sui amóris erga Matrem subrogávit vicários.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Mutua beatæ Virginis et discipuli commendatio

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia iuxta crucem Iesu, sacro ipsíus testaménto,
inter beátam Vírginem et fidéles discípulos
arctum instaurátur amóris vínculum:
Génetrix discípulis in matrem commendátur,
discípuli Matrem accípiunt pretiósam Magístri hereditátem.

Illa in ævum erit mater credéntium,
isti in perpétuum ad eam secúri confúgient.
Illa in fíliis Fílium díligit,
isti, mónita Matris audiéntes,
verba custódiunt Magístri.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM 2 Tim 2, 10

Omnia sustíneo propter eléctos,
ut et ipsi salútem consequántur,
quæ est in Christo Iesu cum glória ætérna.

POST COMMUNIONEM

Filiórum amórem, Dómine,
in nobis áugeat mensa cæléstis,
ubi córpore et sánguine Christi refícimur,
qui, in ara crucis exspírans,
in tuas se commendávit manus
et nos Vírgini Matri concrédidit fílios.
Qui vivit.

14

BEATA MARIA VIRGO MATER RECONCILIATIONIS

Tempori Quadragesimæ indoles inest cum baptismalis tum pænitentialis (cf. SC 109). Quare iam inde a Feria IV Cinerum vox Apostoli in liturgia resonat: « Obsecramus pro Christo: reconciliamini Deo » (2 Cor 5, 20). Qui textus in hac missa quoque adhibetur (*1 Lect,* 2 Cor 5, 17-20).

In hominibus autem Deo reconciliandis Ecclesia munus beatæ Mariæ Virginis in dies clarius agnovit. Primis sæculis, Sancti Patres de Verbi incarnationis mysterio tractantes, haud raro asserunt virginale Matris Domini gremium locum fuisse ubi « pax » inter Deum et homines facta est. Cui doctrinæ mire congruit magisterium Romanorum Pontificum nostræ ætatis: beata Virgo « Dei facta est socia — docet Ioannes Paulus II — ob maternitatem suam divinam in opere ipso reconciliationis » (Adh. apost. postsynodalis *Reconciliatio et pænitentia,* 35: AAS 77 [1985], p. 275).

Media quæ dicitur ætate, ecclesiastici scriptores munus maternum beatæ Virginis altius perscrutati, eam « viam reconciliationis », « causam generalem reconciliationis » necnon « reconciliationis genetricem » appellant eo quod ex ea Iesus Christus, « reconciliatio peccatorum », natus est: « Non est enim reconciliatio — asserit sanctus Anselmus Cantuariensis († 1109) — nisi quam tu casta genuisti » (H. Barré, *Prières anciennes de l'Occident à la Mère du Sauveur,* Ed. P. Lethielleux, Parisiis 1963, p. 305). Itaque fideles ad beatam Virginem confugiunt ut, ea intercedente, « gratiam reconciliationis » obtineant et titulo « Refugium peccatorum » saltem a sæculo XII, eam pie venerantur.

His temporibus beata Virgo titulo « Reconciliatricis peccatorum » multis locis, opera in primis Missionariorum Dominæ Nostræ a La Salette, cultu quoque liturgico veneratur.

Quare si, tempore Quadragesimæ, in sanctuariis præsertim ubi fideles frequentes ad sacramentum pænitentiæ accedunt, celebratur missa de sancta Maria, opportune adhibetur hoc formularium, quod « miserationes Domini super omnia opera eius » (*Ant intr,* Ps 144 [145], 9) extollit et beatæ Virginis « cor miserans erga peccatores » (*Pf*) excolit.

Excepta præfatione, omnes fere textus ducti sunt e *Missa propria beatæ Mariæ Virginis Reconciliatricis peccatorum,* Typis Polyglottis Vaticanis 1978, pp. 4-6.

ANT. AD INTROITUM Ps 144 (145), 8-9

Miserátor et misericors Dóminus,
pátiens et multum misericors.
Suávis Dóminus univérsis,
et miseratiónes eius super ómnia ópera eius.

Vel:

Ave, grátia plena,
a peccatóribus clemens advocáris,
quia nostram misériam míserans intuéris.

COLLECTA

Deus, qui, pretióso sánguine Fílii tui,
mundum tibi reconciliásti
eiúsque Matrem, iuxta crucem,
peccatórum Reconciliatrícem constitúere dignátus es,
tríbue, quǽsumus,
ut, eiúsdem beátæ Vírginis Maríæ intercessióne,
nostrórum delictórum véniam consequámur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Hóstias tibi, Dómine, placatiónis et laudis offérimus:
ut, intercedénte beáta Vírgine María, peccatórum refúgio,
et delícta nostra miserátus absólvas
et nutántia corda tu dírigas.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo refugium peccatorum et reconciliationis mater

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, omnípotens ætérne Deus,
tibi in ómnibus et pro ómnibus semper grátias ágere,
tuásque prædicáre virtútes.

Qui, propter nímiam bonitátem tuam,
errántes non déseris,
sed multis modis ad tui révocas amórem:
tu enim beátæ Vírgini, ignáræ peccáti,
cor míserans erga peccatóres dedísti;
qui eius matérnam caritátem intuéntes,
ad eam confúgiunt tuam véniam implorántes;
eius spiritálem pulchritúdinem contemplántes,
a peccáti fœditáte abstinére nitúntur;
eius autem verba et exémpla meditántes,
ad Fílii tui præcépta servánda commonéntur.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Gloriósa dicta sunt de te, María,
quia ex te ortus est sol iustítiæ,
Christus, Deus noster.

POST COMMUNIONEM

Súmpsimus, Dómine, sacraménta reconciliatiónis nostræ,
corpus et sánguinem Fílii tui:
præsta, quǽsumus,
ut, intercedénte beatíssima Vírgine María,
et miseratiónis tuæ grátiam nobis cónferant
et prǽmium redemptiónis ætérnæ.
Per Christum.

TEMPUS PASCHALE



Apparuerunt dispertitæ linguæ tamquam ignis

In « magna dominica », id est in quinquaginta dierum spatio quo cum lætitia et exsultatione Ecclesia sacramentum paschale celebrat, liturgia Romana Christi Matrem quoque commemorat vel gaudio repletam propter Filii resurrectionem vel cum Apostolis in oratione perseverantem et cum iis Spiritus Sancti donum fidenter præstolantem (cf. *Act* 1, 14). Ecclesia autem cum, materno munere functa, sacramenta initiationis christianæ — quæ sacramenta paschalia sunt — celebrat, beatam Virginem suæ maternitatis exemplar agnoscit; sed et percipit Christi Matrem exemplar et adiutorium sibi esse in Evangelii nuntiandi munere, quod Christus, a mortuis suscitatus, ei commisit (cf. *Mt* 28, 19-20).

FORMULARIA MISSARUM

15. Beata Maria Virgo in resurrectione Domini.
16. Sancta Maria, fons lucis et vitæ.
17. Beata Maria Virgo a Cenaculo.
18. Beata Maria Virgo, regina Apostolorum.

15

BEATA MARIA VIRGO IN RESURRECTIONE DOMINI

Sub titulo *Beatæ Mariæ Virginis in resurrectione Domini,* proponitur missa quæ, exceptis antiphona ad introitum et præfatione, invenitur in *Missali Romano,* Comm. beatæ Mariæ Virginis, tempore paschali, pp. 675-676, cuius textus doctrina pollent et venustate.

Missa resurrectionem Domini celebrat et gaudium ex ea redundans:

— in *universum mundum,* quem Deus Pater « per resurrectionem / Filii [...] Domini nostri Iesu Christi, / [...] lætificare dignatus » (*Co*) est; quare dies resurrectionis Domini fuit dies « lucis et vitæ », « quo, mortis nocte dilapsa, / universus mundus [...] gaudio » (*Pf*) exsultavit;

— in *orientem Ecclesiam,* quæ « Dominum suum immortalem revisens / trepida » (*Pf*) lætata est (cf. Lc 24, 41; Io 20, 20);

— in *Virginem Matrem,* quam Deus « in Christi [...] resurrectione / [...] ineffabili [...] lætitia » (*Pf*) replevit.

Ecclesia igitur Virginem salutat eamque ad gaudium invitat: « Lætare, Virgo Mater, / quia surrexit Christus e sepulcro » (*Ant com*); « Lætare, Mater luminis: / Iesus, sol iustitiæ, / vincens sepulcri tenebras, / totum collustrat orbem » (*Ant intr*); « Ave, sancta Maria, / quæ iuxta crucem perdolens / dolores tulisti Nati, / nunc sereno exsultas gaudio » (*All*).

Beata Virgo, « quæ Filium credendo concepit » et « eius resurrectionem credendo exspectavit » (*Pf*) exemplar est fidei qua discipuli Christum « conceptum de Virgine / Deum verum et hominem » confitentur et « per eius salutiferæ resurrectionis potentiam, / ad æternam [...] pervenire lætitiam » (*Pc*) exspectant.

ANT. AD INTROITUM

Lætáre, Mater lúminis:
Iesus, sol iustítiæ,
vincens sepúlcri ténebras,
totum collústrat orbem, allelúia.

COLLECTA

Deus, qui, per resurrectiónem
Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi,
mundum lætificáre dignátus es,
præsta, quǽsumus,
ut, per eius Genetrícem Vírginem Maríam,
perpétua capiámus gáudia vitæ.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Memóriam recoléntes beátæ Vírginis Maríæ,
tibi, Dómine, múnera nostra offérimus, deprecántes,
ut eius nobis succúrrat humánitas,
qui tibi oblatiónem seípsum in cruce óbtulit immaculátam.
Qui vivit.

PRÆFATIO
Beata Virgo Filii resurrectionem credendo exspectavit

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia in Christi tui resurrectióne
beátam Vírginem ineffábili replésti lætítia
eiúsque fidem mirabíliter exstulísti:
ipsa enim quæ Fílium credéndo concépit,
eius resurrectiónem credéndo exspectávit;

fide muníta diem prospéxit lucis et vitæ,
quo, mortis nocte dilápsa,
univérsus mundus exsultáret gáudio
et óriens Ecclésia Dóminum suum immortálem revísens
trépida lætarétur.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Lætáre, Virgo Mater,
quia surréxit Christus e sepúlcro, allelúia.

POST COMMUNIONEM

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine,
veræ fídei sacraménta confírma,
ut, qui concéptum de Vírgine
Deum verum et hóminem confitémur,
per eius salutíferæ resurrectiónis poténtiam,
ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam.
Per Christum.

16

SANCTA MARIA, FONS LUCIS ET VITÆ

Sacramenta initiationis christianæ, quæ recte in Vigilia paschali conferuntur, cathecumenos ad imaginem Christi conformant: in unda baptismali eos efficiunt filios Dei, per sanctam unctionem et manuum impositionem Spiritu Sancto replent atque per cælestis panis et vini sumptionem concorporeos Christi reddunt.

Sancti Patres tamen haud raro docent Christi mysteria, quæ Virgo Mater Ecclesia in sacramentis initiationis christianæ celebrat, in Virgine Matre Maria esse « rerum veritate impleta » (*Pf*): Spiritus enim qui alvum Ecclesiæ — fontem scilicet baptismalem — sanctificat ut filios Dei parturiat, gremium sanctificavit Mariæ ut Primogenitum pareret multorum fratrum (cf. Hebr 2, 11-15); idemque Spiritus qui die Pentecostes super beatam Virginem abunde descendit, super neophitos e cælo dilabitur in sacramenti confirmationis celebratione; caro autem et sanguis, quæ in ara crucis pro mundi vita obtulit Christus quæque cotidie in eucharistico sacrificio offert Ecclesia, eadem sunt quæ beata Virgo Maria pro nostra edidit salute.

In hac missa munus maternum erga fideles tum Ecclesiæ tum beatæ Virginis commemoratur. Maternitas autem Mariæ maternitatem Ecclesiæ præcedit, cuius typus et exemplar exsistit (cf. LG 63).

In textibus missæ beata Maria celebratur tamquam:

— *alma Virgo* (*Co, Pf*), « quæ, Spiritu Sancto adumbrata » (*Ant com*), Christum generavit, panem vitæ (cf. Io 6, 35), quo in Ecclesia aluntur fideles;

— *Mater luminis* (*Ant intr*), quia Christum, mundi lucem (cf. Io 12, 46; *Ev* 1, Io 12, 44-50), genuit;

— *exemplar Ecclesiæ* (*Ant intr*), quia Ecclesia et ipsa virgo est et « virginali unda populos regenerat credentes » (*Ant intr*), et « Matrem Christi imitans » (*So*) oblationem eucharisticam offert; quia ea quæ « in Ecclesiæ sacramentis mystice » peraguntur, « sunt rerum veritate in alma Virgine impleta » (*Pf*);

— *aula cælestium sacramentorum* (*Ant com*), quia in suo « virgineo gremio » Christum portavit, qui est « sacramentum Patris »: in eo enim sunt absconditi omnes thesauri salutis et gratiæ, et per eum vultus Patris nobis revelatur (cf. Lc 10, 22; Io 14, 9).

Hoc formularium, cuius textus liturgiam Vigiliæ paschalis resonant, opportune adhibetur sabbatis temporis paschalis cum, iusta de causa, servatis de iure servandis, missa de beata Virgine Maria celebratur.

ANT. AD INTROITUM

Salve, Mater lúminis:
virgo Christum genuísti
et exémplar facta es Matris Ecclésiæ,
quæ virgináli unda pópulos regénerat credéntes, allelúia.

COLLECTA

Præsta, Dómine,
ut mater Ecclésia hómines quos, condicióne terrénos,
e virgíneo fontis útero cæléstes parturívit,
per evangélium vitæ et grátiæ sacraménta,
ad similitúdinem sui perdúcat Auctóris,
qui ex alma Vírgine natus,
primogénitus multórum fratrum exsístit
et universális salvátor, Iesus Christus Dóminus noster.
Qui tecum vivit.

SUPER OBLATA

Súscipe, sancte Pater, hanc oblatiónem,
quam, Matrem Christi ímitans, tibi offert virgo Ecclésia,
ut ipsa, ex omni gente et natióne collécta,
unum corpus fiat ab uno Spíritu vivificátum.
Per Christum.

PRÆFATIO

De munere beatæ Virginis in sacramentis initiationis christianæ

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

[7] (Coll. Miss.)

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia miro tuæ pietátis dono statuísti,
ut ea in Ecclésiæ sacraméntis mýstice perageréntur,
quæ sunt rerum veritáte in alma Vírgine impléta:
novos e fonte baptísmi párturit Ecclésia fílios,
quos ex fide et Spíritu virgo fecúnda concépit;

linit recéntes natos pretióso chrísmatis óleo,
ut Spíritus, qui beátam Vírginem abúnde replévit,
super eos descéndat muníficus;

sed et cotídie fíliis mensam parat,
ubi ipsos cælésti nútriat pane,
quem Virgo María pro mundi édidit vita,
Iesum Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Beáta es, Virgo María,
quæ, Spíritu Sancto adumbráta,
ætérni Patris Fílium virgíneo grémio portásti
et aula facta es cæléstium sacramentórum, allelúia.

POST COMMUNIONEM

Quos Christi córpore satiásti,
reple, Dómine, Spíritu Christi,
ut ab illo semper nostræ dirigántur actiónes,
qui omnes Ecclésiæ sémitas illústrat,
sicut totam sanctificávit Vírginis vitam.
Per Christum.

17

BEATA MARIA VIRGO A CENACULO

Beata Maria Virgo a Cenaculo pluribus in diœcesibus et familiis religiosis memoria liturgica colitur, in quibus eminet Congregatio Sororum Dominæ Nostræ a Cenaculo, quam sancta Teresia Couderc († 1885) fundavit.

In beata Virgine, quæ præsens adfuit primo Christi discipulorum cœtui (*Ant intr,* cf. Act 1, 14), Ecclesia in dies conspexit sive matrem caritate foventem primævæ communitatis exordia sive concordis orationis præclarum exemplar.

In hoc formulario, in quo Ecclesia cælestem Patrem glorificat ob Spiritus Sancti donum sibi collatum, Mater Iesu apparet:
— *Virgo Spiritu Sancto plena.* Nam Deus beatam Virginem « Spiritus Sancti » cumulavit « muneribus » (*Co*); et « quæ in Verbi incarnatione Spiritu fuit obumbrata, / in ortu novæ plebis [...] denuo repletur superno Dono » (*Pf*);
— *Exemplar Ecclesiæ.* Orationis, in primis; Deus enim in beata Virgine « mirabile [...] orationis / nobis in primæva Ecclesia exemplum » (*Pf*) dedit: « Matrem Iesu cum Apostolis unanimem orantem » (*Pf,* cf. *Ant intr* [Act 1, 14], *Co*); et « quæ Christi adventum orando exspectavit, / enixis precibus promissum invocat Paraclitum » (*Pf*); sed et concordiæ, communionis et pacis (cf. *Pf, Pc*); obœdientiæ Sancti Spiritus voci (cf. *So*); vigilantiæ in exspectando altero Christi adventu (cf. *Pf*); fidelis custodiæ (cf. *All,* Lc 2, 19) et alacris propagationis verbi Dei.

ANT. AD INTROITUM — Cf. Act 1, 14

Erant discípuli perseverántes unanímiter
in oratióne cum María, Matre Iesu, allelúia.

COLLECTA

Dómine Deus noster,
qui beátam Vírginem cum Apóstolis orántem,
Spíritus Sancti cumulásti munéribus,
concéde ut, eius intercessióne,

nos quoque, eódem Spíritu repléti,
in oratióne perseverémus unánimes
et bonum salútis núntium frátribus afferámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, sancte Pater,
hæc múnera tibi lætánter obláta,
et præsta ut, beátam Vírginem séduli imitántes,
Spíritus voci dóciles præbeámus aures
et laudem tuæ glóriæ in ómnibus quærámus.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo cum Apostolis orans, Paracliti præstolatur adventum

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia mirábile concórdiæ et oratiónis
nobis in primǽva Ecclésia exémplum dedísti:
Matrem Iesu cum Apóstolis unánimem orántem.

Quæ Christi advéntum orándo exspectávit,
eníxis précibus promíssum ínvocat Paráclitum;
et quæ in Verbi incarnatióne Spíritu fuit obumbráta,
in ortu novæ plebis tuæ dénuo replétur supérno Dono.

Unde beáta Virgo in oratióne vígilis, fervens caritáte,
exémplar exsístit Ecclésiæ,
quæ, Spíritus instrúcta munéribus,
álterum Christi advéntum vígilans præstolátur.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Act 2, 42

Discípuli erant perseverántes in doctrína Apostolórum
et communicatióne,
in fractióne panis et oratiónibus, allelúia.

POST COMMUNIONEM

Fámulos tuos, Dómine,
quos eódem satiásti pane salútis,
eódem rénova Sancti Spíritus dono;
et concéde ut, sub beátæ Vírginis præsídio,
ad fratrum concórdiam et pacem adlaborémus,
pro quibus Iesus Christus, Fílius tuus,
redemptiónis se óbtulit hóstiam.
Qui vivit.

18

BEATA MARIA VIRGO, REGINA APOSTOLORUM

Haud pauca Instituta religiosa et Societates vitæ apostolicæ beatam Mariam Virginem in Cenaculo cum Apostolis orantem suam agnoscunt Patronam eamque sub titulo « Reginæ Apostolorum » cultu liturgico venerantur; in quibus eminent Societas Apostolatus Catholici a sancto Vincentio Pallotti († 1850) fundata, Pontificium Institutum pro Missionibus Exteris (P.I.M.E.) ab episcopo Angelo Ramazzotti († 1861) conditum, Pia Societas a sancto Paulo Apostolo aliaque instituta a servo Dei Iacobo Alberione († 1971) creata.

Nonnulli viri et mulieres enim, ardore apostolico ac missionali incensi, locum eminentem et « regalem », quem Mater Iesu in primæva communitate tenebat, animadverterunt eiusque præsentiæ momentum in eventu pentecostali quoad nuntii evangelici propagationem perspexerunt.

Hæc missa, præfatione excepta, desumpta est e *Proprio missarum Societatis Apostolatus Catholici*, Typis Polyglottis Vaticanis 1972, pp. 3-6.

Formulario magna vis missionalis inest. Fidelium cœtus Deum exorat ut eius « gloriam verbo et exemplo diffundere » (*Co*) valeat, Ecclesia « fidelium numero crescat » (*So*) et populus « semper proficiat ad salutem » (*Pc*).

Præfatio « consilium salutis » celebrat, quo beata Virgo, « Spiritu Sancto ducta » ad domum Elisabeth festinavit nuntium ferens salutis, et « Petrus ceterique Apostoli », ab illapsu Spiritus confirmati, e Cenaculo intrepidi exierunt ad Christi evangelium cunctis gentibus nuntiandum.

ANT. AD INTROITUM — Cf. Act 1, 14

Erant discípuli perseverántes unanímiter
in oratióne cum María, matre Iesu, allelúia.

COLLECTA

Deus, qui Apóstolis tuis, cum María Matre Iesu orántibus,
Sanctum dedísti Spíritum,
da nobis, ut, ipsa intercedénte,
maiestáti tuæ fidéliter servíre

et nóminis tui glóriam
verbo et exémplo diffúndere valeámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Tua, Dómine, propitiatióne,
et beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne,
hæc nostra obtíneat oblátio,
ut Ecclésia tua fidélium número crescat
et iúgiter fúlgeat ubertáte virtútum.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo Apostolorum invocatur regina

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
in hac memória beátæ Maríæ Vírginis,
quæ Apóstolos in Christo nuntiándo præcéssit.

Illa enim, Spíritu Sancto ducta,
Christum Ioanni festína portávit,
ut causa ei fíeret sanctificatiónis et gáudii;
Petrus ceteríque Apóstoli, eódem Spíritu impúlsi,
cunctis géntibus Evangélium nuntiárunt intrépidi,
quod eis causa fíeret salútis et vitæ.

Sed et nunc beáta Virgo Evangélii præcónes
trahit exémplo, fovet caritáte, incessánti iuvat oratióne,
ut toto orbe Christum Salvatórem annúntient.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Lc 11, 27

Beáta víscera Maríæ Vírginis,
quæ portavérunt ætérni Patris Fílium, allelúia.

POST COMMUNIONEM

Sumptis salútis nostræ subsídiis
in memória beátæ Maríæ Vírginis, Apostolórum regínæ,
te, Dómine, deprecámur,
ut in tua voluntáte et in hóminum servítio persevérans,
pópulus tuus semper profíciat ad salútem.
Per Christum.

TEMPUS «PER ANNUM»



Christus, semen Mulieris, per crucem suam calcat caput antiqui serpentis

Tempore « per annum » sive in Calendario Romano generali sive in Calendariis Ecclesiarum particularium et Institutorum religiosorum frequens recurrit memoria de sancta Maria. Unde complura sunt in *Propriis* Ritus Romani formularia missarum de beata Virgine, quorum obiectum, quamquam unum idemque est — opus Dei in sancta Maria patratum intuitu Christi et Ecclesiæ —, tamen sub multis variisque aspectibus celebratur.

Formularia missarum temporis « per annum », ratione habita aspectus mysterii quem celebrant, « in tres sectiones sunt dispertita, quarum *prima* undecim formularia continet ad memoriam Deiparæ celebrandam sub titulis e Sacra Scriptura præsertim deductis vel eius cum Ecclesia nexum ostendentibus; *secunda* novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant; *tertia* octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericordem intercessionem in favorem fidelium ostendunt » (Collectio missarum de beata Maria Virgine, I, *Prænotanda,* n. 24).

SECTIO PRIMA

Hæc sectio continet undecim formularia ad memoriam Deiparæ celebrandam sub titulis e Sacra Scriptura præsertim deductis vel eius cum Ecclesia nexum ostendentibus.

FORMULARIA MISSARUM

19. Sancta Maria, mater Domini.
20. Sancta Maria, mulier nova.
21. Sanctum Nomen beatæ Mariæ Virginis.
22. Sancta Maria, ancilla Domini.
23. Beata Maria Virgo, templum Domini.
24. Beata Maria Virgo, sedes Sapientiæ.
25. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (I).
26. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (II).
27. Beata Maria Virgo, imago et mater Ecclesiæ (III).
28. Cor immaculatum beatæ Maríæ Virginis.
29. Beata Maria Virgo, universorum regina.

19

SANCTA MARIA, MATER DOMINI

Inter titulos quibus in Evangelio beata Virgo nominatur, titulus eminet « Matris Domini », quo Elisabeth, Præcursoris mater, Spiritu Sancto repleta (cf. Lc 1, 41), eam salutavit: « Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me? » (Lc 1, 42).

Sub titulo *Sanctæ Mariæ, Matris Domini,* hic proponitur missa quæ invenitur in *Missali Romano,* Comm. Beatæ Mariæ Virginis, tempore « per annum » n. 3, pp. 672-673, cuius textus « sobrietate romana », ut aiunt, præstant atque eximia erga Matrem Iesu pietate; præfatio autem desumpta est e *Proprio missarum Ordinis beatæ Mariæ Virginis de Mercede,* Curia Generalis Ordinis, Romæ 1976, p. 11.

In præfatione Deus Pater glorificatur propter duplex munus maternum quod « providenti consilio » beatæ Virgini commisit: erga Filium suum (« in Filii tui Genetrice magna fecisti ») et erga Populum suum (« materno in Ecclesia fungitur munere »).

ANT. AD INTROITUM — Cf. Iudt 13, 23. 25

Benedícta es tu, María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram;
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum.

COLLECTA

Sanctíssimæ venerántibus Vírginis Maríæ, Matris Dómini, memóriam gloriósam,
ipsíus nobis, quǽsumus, Dómine, intercessióne concéde,
ut de plenitúdine grátiæ tuæ
nos quoque mereámur accípere.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus,
de Genetrícis Fílii tui memória lætántes;
præsta, quǽsumus, ut per hæc sacrosáncta commércia
ad redemptiónis ætérnæ proficiámus augméntum.
Per Christum.

PRÆFATIO

Mater Domini, divinæ gratiæ dispensatrix fidelis

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui in Fílii tui Genetríce magna fecísti
et per eam salútem in nobis operári non désinis:
ipsa enim, tuo providénti consílio,
matérno in Ecclésia fúngitur múnere
ac grátiæ tuæ dispensátrix exsístit fidélis;
cuius verbis nos ádmones,
exémplis ad Christi áttrahis sequélam,
précibus nobis indúlges.

Unde et nos tibi grátias ágimus,
et tuas virtútes cum choris cæléstibus proclamámus,
una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Lc 1, 48

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

POST COMMUNIONEM

Sumptis, Dómine, sacraméntis cæléstibus,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ Maríæ Vírginis
memóriam venerándo recólimus,
ætérni convívii mereámur esse partícipes.
Per Christum.

20

SANCTA MARIA, MULIER NOVA

Iam inde a sæculo II, sancto Iustino († ca 163) et sancto Irenæo († ca 200) præsertim auctoribus, beata Virgo Maria agnoscitur in Ecclesia tamquam nova Eva seu Mulier nova Christo, novo Adam (cf. 1 Cor 15, 45), in opere salutis arcte sociata, fide et obœdientia damnum reparans ab antiqua Eva incredulitate et inobœdientia generi humano illatum: « Evæ inobaudientiæ nodus solutionem accepit per obaudientiam Mariæ. Quod enim alligavit virgo Eva per incredulitatem hoc virgo Maria solvit per fidem » (S. Irenæus, *Adversus hæreses* 3, 22, 4: SCh 34, p. 82).

In hoc formulario salutare « mysterium Mulieris » — Mariæ et Ecclesiæ — recolitur. Maria enim, « typum Ecclesiæ » gerens (cf. LG 63), Mulier est in Protoevangelio promissa (cf. Gen 3, 15), quam Elisabeth inter omnes dixit benedictam (cf. Lc 1, 42), ex qua Filius Dei homo factus est (cf. Gal 4, 4), in nuptiis Canæ mysticam Horam præsignans (cf. Io 2, 4), iuxta crucem maternum explens munus (cf. Io 19, 26), in cælo fulgens amicta sole et stellis coronata (cf. Ap 12, 1).

Maria ergo celebratur tamquam:

— *primitiæ novæ creationis*: « ... beatam Virginem, a Spiritu Sancto plasmatam, / novæ creationis constituisti primitias » (*Co*; cf. LG 56);

— *nova terra,* « in qua », iam inde ab eius Conceptione immaculata, « iustitia habitat » (cf. *Ps resp*);

— *primitiæ novi populi*: « .... beatam Virginem Mariam / [...] novi populi tui primitias effecisti » (*Pf*);

— *discipula novæ legis*: « ... novæ legis prima discipula » (*Pf*);

— *mulier cui Deus cor novum dedit,* secundum Ezechielis prophetiam (cf. 11, 19): « ... beatæ Virgini cor novum tribuisti » (*Pc*);

— *mulier præparans « novum vinum » Ecclesiæ*: « Beata es, Virgo Maria: / [...] per te Filius tuus novum vinum Ecclesiæ paravit » (*Ant com*);

— *virgo fidelis,* quæ « sacrificio novæ legis pleno corde adhæsit » (*So*);

— *Ierusalem nova,* seu civitas sancta in qua Deus posuit tabernaculum suum (cf. *1 Lect,* Ap 21, 1-5a).

Breviter: sancta Maria, « concepta sine macula, / et gratiæ cumulata muneribus / vere est *mulier nova* » (*Pf*), mater et socia Christi, novi fœderis auctoris (cf. *Pf*).

ANT. AD INTROITUM Ap 12, 1

Signum magnum appáruit in cælo:
múlier amícta sole, et luna sub pédibus eius,
et in cápite eius coróna stellárum duódecim.

COLLECTA

Deus, qui beátam Vírginem, a Spíritu Sancto plasmátam,
novæ creatiónis constituísti primítias,
concéde nobis,
ut, a peccáti vetustáte abstinéntes,
novitátem Evangélii toto corde amplectámur
et novum amóris mandátum fidéliter observémus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Memóriam venerántes, Dómine, beátæ Maríæ Vírginis,
quæ sacrifício novæ legis pleno corde adhǽsit,
hæc múnera tibi reverénter offérimus
et súpplices exorámus ut, tua favénte grátia,
cunctis diébus in novitáte vitæ ambulémus.
Per Christum.

PRÆFATIO

Maria, mulier nova, novæ legis prima discipula

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

[8] (Coll. Miss.)

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quia beátam Vírginem Maríam
Christo, novi fœderis auctóri, matrem et sóciam dedísti
eámque novi pópuli tui primítias effecísti.

Ipsa enim, concépta sine mácula,
et grátiæ cumuláta munéribus,
vere est múlier nova,
novæ legis prima discípula:

múlier læta in tuo servítio,
dócilis Sancti Spíritus voci,
verbi tui custos sollícita;

múlier propter fidem beáta,
in Prole benedícta,
inter húmiles exaltáta;

múlier in tribulatióne fortis,
fidélis iuxta crucem Nati,
in éxitu gloriósa.

Et ídeo, cum innúmeris Angelis,
una te magnificámus voce, dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Ps 86 (87), 3; Lc 1, 49

Gloriósa dicta sunt de te, María,
quia fecit tibi magna qui potens est.

Vel:

Beáta es, Virgo María:
per te Deus nobis dedit mundi Salvatórem,
per te Fílius tuus novum vinum Ecclésiæ parávit.

POST COMMUNIONEM

Dómine, sancte Pater,
qui beátæ Vírgini cor novum tribuísti,
concéde nobis ut, virtúte huius sacraménti,
et Spíritus Sancti pareámus afflátibus
et Christo, novo hómini, in dies conformémur.
Qui vivit.

21

SANCTUM NOMEN BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

In *Missali Romano*, pp. 869-870, invenitur missa votiva *De Ss.mo Nomine Mariæ,* in qua sola collecta est propria. Memoria vero Ss.mi Nominis Virginis, die 12 septembris, apud complures Ecclesias particulares et apud complura Instituta religiosa, eodem fere formulario, celebratur. Formularium quod hic proponitur desumptum est, præfatione excepta paucisque immutatis, e *Proprio missarum Societatis Mariæ.*

In hac missa Deus Pater in primis glorificatur propter « Nomen Iesu », id est propter « personam Filii sui » eiusque potestatem et salutarem missionem: « in cuius nomine tota est salus » (*Pf,* cf. Act 4, 12), « ad cuius imperium omne flectitur genu, / cælestium, terrestrium et infernorum » (*Pf,* cf. Phil 2, 10).

Deinde glorificatur propter « Nomen Mariæ », id est propter personam Christi Matris eiusque missionem in historia salutis (cf. *Pf*). Nomen autem beatæ Virginis Mariæ celebratur utpote:

— *gloriosum,* nam Deus illud, ad instar nominis Iudith, quæ figuram beatæ Virginis gerit, « ita magnificavit, ut non recedat laus [eius] de ore hominum » (*Ant intr,* cf. Iudt 13, 20);

— *sanctum,* nam Mulierem indicat quæ tota fuit « gratia plena » (*All,* cf. Lc 1, 28) et « gratiam apud Deum » (*Ev,* Lc 1, 30) invenit ut Dei Filium conciperet et pareret (cf. Lc 1, 31);

— *maternum,* quia Dominus Iesus « in ara crucis exspirans / beatissimam Virginem Mariam / Matrem voluit esse nostram, quam suam elegerat » (*Co*), unde fideles eius « materno invocato nomine » (*Co*) confortantur;

— *providum,* fideles enim in quorum ore nomen Virginis frequens resonat (cf. *Pf*), eam « tamquam fulgens sidus, fidentes respiciunt, / in periculis invocant matrem / in necessitatibus ad eam securi confugiunt » (*Pf,* cf. *Co*).

ANT. AD INTROITUM — Cf. Iudt 13, 18. 20

Benedícta es tu, Virgo María, a Dómino Deo excélso
præ ómnibus muliéribus super terram;
quia nomen tuum ita magnificávit,
ut non recédat laus tua de ore hóminum.

Collecta

Deus, cuius Fílius in ara crucis exspírans
beatíssimam Vírginem Maríam
Matrem vóluit esse nostram, quam suam elégerat,
concéde propítius,
ut, qui sub eius præsídium secúre confúgimus,
matérno invocáto nómine confortémur.
Per Dóminum.

Super oblata

Munéribus, Dómine, oblátis inténde,
ut corda nostra, Sancti Spíritus illustratióne perfúsa,
exémplo beátæ semper Vírginis Maríæ,
Christo Fílio tuo adhærére stúdeant,
ei soli vívere eíque soli in ómnibus placére.
Qui vivit.

Præfatio

Sancta Maria templum gloriæ Dei

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

In cuius nómine tota est salus,
ad cuius impérium omne fléctitur genu,
cæléstium, terréstrium et infernórum.

Sed próvida benignitáte statuísti,
ut nomen quoque Vírginis Maríæ
in fidélium ore frequens resonáret,
qui eam, tamquam fulgens sidus, fidéntes respíciunt,
in perículis ínvocant matrem,
in necessitátibus ad eam secúri confúgiunt.

Unde et nos tibi grátias ágimus,
et tuas virtútes cum Angelis prædicámus, dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Lc 1, 48

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia ancíllam húmilem respéxit Deus.

POST COMMUNIONEM

Tríbue nobis, quǽsumus, Dómine,
quos ad verbi et sacraménti mensam roborásti,
ut, beátæ Maríæ ductu et patrocínio,
et illa respuámus, quæ christiáno inimíca sunt nómini
et ea, quæ sunt apta, sectémur.
Per Christum.

22

SANCTA MARIA, ANCILLA DOMINI

In Evangelio secundum Lucam beata Virgo se « Ancillam Domini » bis profitetur: cum Angeli nuntio consentit (cf. Lc 1, 38), cum Dominum magnificat propter « magna » (cf. Lc 1, 49) quæ in ea fecit. Titulus « Ancillæ Domini », ut eius sensus ac vis omnino percipiatur, legendus est sub luce carminum « Servi Domini » (cf. Is 42, 1-7; 49, 1-9; 50, 1-11; 52, 1 — 53, 12), sed præsertim sub luce eorum quæ gessit Iesus Christus, qui figuram « Servi Domini » ipse perficiens, « non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret et daret animam suam redemptionem pro multis » (Mc 10, 45).

Beatæ Virgini sub titulo « Ancillæ Domini » cultus liturgicus exhibetur in quibusdam institutis religiosis, maxime in Congregatione Passionis Iesu Christi, e cuius *Proprio missarum,* Curia Generalis CP, Romae 1974, pp. 30-31, maior pars textuum huius missæ desumpta est.

Missa celebrat misericors consilium salutis quo Deus beatam Virginem, humilem ancillam suam, Christi matrem et sociam statuit (cf. *Co*): Maria autem, « filia Adam — ut docet Concilium Vaticanum II — verbo divino consentiens, facta est mater Iesu, ac salvificam voluntatem Dei pleno corde et nullo retardata peccato, complectens, semetipsam ut Domini ancillam personæ et operi Filii sui totaliter devovit, sub ipso et cum ipso, omnipotentis Dei gratia, mysterio redemptionis inserviens » (LG 56).

Quapropter beata Virgo, humilis ancilla Domini, salutatur tamquam « pietatis ministra » (*Pf*), quæ totam se dicavit servitio divino (cf. *So*) et operi Filii pro hominum salute (cf. *Pf*).

Sed missa, doctrinæ Evangelii intime adhærens, Mariam, humilem ancillam, ad regalem dignitatem evectam item celebrat: « quæ multum Christo ministravit » (*Pf*), eam Deus Pater multum honorificavit (cf. *Pf*, Io 12, 26): « et quæ humilem ancillam [Dei] se dixit, / gloriosam apud Filium » ipse Deus exaltavit « reginam » (*Pf*). Quod mire canit *Alleluia*: « Beata es, Virgo Maria, /quæ ancillam Domini te dixisti: / nunc, super choros angelorum exaltatam, / cæli Reginam te salutat Ecclesia ».

ANT. AD INTROITUM — Lc 1, 47-48

Exsultávit spíritus meus in Deo salutári meo;
quia respéxit humilitátem ancíllæ suæ.

COLLECTA

Deus, qui beátam Vírginem, húmilem ancíllam tuam,
misericórdi redemptiónis consílio,
Christi matrem et sóciam statuísti,
tríbue nobis ut, eam assídue spectántes,
tibi plenam exhibeámus servitútem
et pro hóminum salúte vígiles impendámus curas.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, sancte Pater, oblatiónes et múnera,
quæ tibi offérimus in memória beátæ Maríæ Vírginis,
dócilis ancíllæ tuo servítio totáliter dicátæ,
et concéde nobis ut hóstiam tibi placéntem
nosmetípsos offérre valeámus.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo, ancilla Domini, redemptionis mysterio inserviit

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Quia in beáta Vírgine tibi singuláriter complacuísti:
illa enim, salvíficam voluntátem tuam compléctens,
óperi Fílii tui totáliter se devóvit,

mystério redemptiónis fidéliter insérviens;
unde eam, quæ multum Christo ministrávit,
multum honorificásti;
et quæ húmilem ancíllam tuam se dixit,
eam gloriósam apud Fílium tuum exaltásti regínam,
ubi, pietátis minístra, pro nobis intercédit benígna.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Ps 85 (86), 15-16

Et tu, Dómine Deus, réspice in me
et miserére mei;
salvum fac fílium ancíllæ tuæ.

POST COMMUNIONEM

Spirituális alimóniæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine Deus noster,
ut, beátam Vírginem assídue imitántes,
et Ecclésiæ servítio semper inveniámur inténti
et tui experiámur gáudia famulátus.
Per Christum.

23

BEATA MARIA VIRGO, TEMPLUM DOMINI

« Mysterium Templi » in Christo Iesu, in quo « inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter » (Col 2, 9), perfectum est (cf. Io 2, 19-22). In sacris litteris Ecclesia quoque « sanctum templum » vocatur: « estis concives sanctorum et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu, in quo omnis ædificatio crescit in *templum sanctum* in Domino » (Eph 2, 19-21). Sed et singuli fideles, propter Deum inhabitantem in eorum cordibus, « templum Dei » sunt: « Nescitis quia *templum Dei* estis et Spiritus Dei habitat in vobis? [...] templum enim Dei sanctum est, quod estis vos » (1 Cor 3, 16-17).

Beata Virgo autem singulari ratione et ipsa est « templum sanctum »:
— cum ipsum Filium Dei immaculatis gestasset visceribus, facta est verum templum veri Dei;
— cum verbum Dei in corde custodisset (cf. Lc 2, 19. 51), Christum ardenter dilexisset eiusque sermonem fideliter servasset, Filius et Pater, iuxta ipsius Domini promissum, ad eam venerunt et apud eam mansionem fecerunt (cf. Io 14, 23).

Hæc ergo missa, sub imagine « templi », divinam maternitatem beatæ Mariæ Virginis celebrat eiusque vitæ sanctitatem.

Sancta Maria appellatur « templum sanctum » a Deo pro Filio suo ineffabili arte conditum (cf. *Co*); « singulare templum » gloriæ Dei, propter « fidei obœdientiam et incarnationis mysterium » (*Pf*); « templum iustitiæ, / nobis peccatoribus templum pietatis, / [...] templum plenum Sancti Spiritus » (*All*).

Ad beatam Virginem significandam aliæ quoque adhibentur imagines, e Sacra Scriptura depromptæ, quæ fere idem significant atque imago « templi »: *tabernaculum,* in cuius medio Deus est et non commovebitur (*Ant com,* cf. Ps 45 [46], 5-6; cf. *Ant intr,* Ap 21, 3); *domus Domini,* quam Deus replevit sua præsentia (cf. *1 Lect,* 1 Reg 8, 11; *Ps resp,* Ps 83 [84], 11); *domus aurea,* « a Spiritu ornata copia virtutum » (*Pf*); *aula regalis,* « fulgens splendore Veritatis » (*Pf*), quam Rex regum inhabitavit; *civitas sancta,* « quam flumina gratiæ lætificant » (*Pf,* cf. Ps 45 [46], 5); *arca fœderis,* « continens novæ legis Auctorem » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM Ap 21, 3

Audívi vocem magnam de throno dicéntem:
« Ecce tabernáculum Dei cum homínibus!
Et habitábit cum eis,
et ipsi pópulus eius erunt,
et ipse Deus cum eis erit eórum Deus ».

COLLECTA

Deus, qui in virgináli beátæ Maríæ grémio
ineffábili arte sanctum Fílio tuo templum condidísti,
concéde ut, grátiam baptísmi fidéliter custodiéntes,
tui simus adoratóres in spíritu et veritáte
et templum glóriæ tuæ nos quoque pérfici mereámur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, múnera tibi lætánter obláta
in memória beátæ Vírginis Maríæ,
cuius vita oratiónis et laudis nobis est disciplína,
et concéde benígnus ut, sicut ipsa,
recte vivéndo sacrifícium iustítiæ tibi offerámus.
Per Christum.

PRÆFATIO

Sancta Maria, singulare templum gloriæ Dei

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Quia in córdibus nostris mansiónem tibi paras,
quam, Spíritus Sancti grátia,
illuminándo puríficas et inhabitándo sanctíficas;
sed, propter fídei obœdiéntiam et incarnatiónis mystérium,
beáta Virgo singuláre facta est templum tuæ glóriæ,
domus áurea a Spíritu ornáta cópia virtútum,
aula regális fulgens splendóre Veritátis,
cívitas sancta, quam flúmina grátiæ lætíficant,
arca novi fœderis cóntinens novæ legis Auctórem,
Iesum Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM — Cf. Ps 45 (46), 5-6

Beáta es, Virgo María,
sanctum tabernáculum Altíssimi:
Deus in médio tui, non commovébitur.

POST COMMUNIONEM

Cælésti alimónia nutrítos,
fac nos, exémplo beátæ Vírginis Maríæ,
pura tibi conversatióne servíre,
te in frátribus præséntem venerári,
te cum ipsa sincéris magnificáre láudibus.
Per Christum.

24

BEATA MARIA VIRGO, SEDES SAPIENTIÆ

In missis de sancta Maria, quæ mater est incarnatæ Dei Sapientiæ, iam inde a sæculo X sæpe leguntur « epistulæ sapientiales » — præsertim ex Ecclesiastico et e Proverbiorum libro desumptæ (cf. OLM 707, 5. 6) —, in quibus Ecclesia, cum in primis æternæ Sapientiæ vocem audiat, beatam Mariam Virginem quoque animadvertit loquentem: in his textibus enim, secundum vulgatam sententiam scriptorum Medii Ævi, Dei Sapientia quodammodo « in persona Virginis » loquitur.

A sæculo autem XII, in *Laudibus* et *Litaniis* marialibus nonnulli tituli beatæ Virgini tribuuntur, qui eius necessitudinem extollunt cum æterna Sapientia: *Mater Sapientiæ, Fons Sapientiæ, Domus Sapientiæ, Sedes Sapientiæ,* quorum *Sedes Sapientiæ* maxime invaluit.

Sub hoc titulo beata Virgo celebratur, cultu quoque liturgico, in quibusdam Ecclesiis particularibus, in Studiorum Universitatibus, in Institutis religiosis, in quibus eminet *Societas Mariæ* a sancto Ludovico Grignion de Monfort († 1716) fundata. Formularium missæ, præfatione excepta, provenit e *Proprio missarum* Societatis Mariæ Montfortanæ.

Titulo « Sedis Sapientiæ » una celebrantur munus maternum beatæ Mariæ Virginis, eius regalis dignitas necnon in rebus divinis eximia sapientia atque prudentia:

— *munus maternum,* nam mysterii incarnationis virtute, in purissimo gremio Virginis Matris residet Sapientia Patris;

— *dignitas regalis,* nam Puer sedens in Matris genibus est Rex messianicus, qui « Filius Altissimi vocabitur », cui dabit « Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit super domum Iacob in æternum, et regni eius non erit finis » (Lc 1, 32-33; cf. Is 9, 6-7); Rex, ad quem sapientes de longe venerunt, quem invenientes cum Matre adoraverunt munera offerentes regia (cf. Mt 2, 1-12).

— *sapientia et prudentia,* nam sancta Maria in Evangelio apparet tamquam « Virgo sapiens », quæ optimam partem elegit (cf. Lc 10, 42), et « Magistra veritatis », quæ Ecclesiæ tradit facta et verba salutis in eius corde servata (cf. Lc 2, 19. 51): « O Mater sapientissima, et sola talis Filii dignissima — scribit sanctus Bruno Astiensis († 1123) —, quæ omnia verba hæc in corde suo ideo conferebat, nobisque conservabat, et memoriæ commendabat, ut postea, ipsa docente, ipsa narrante et annuntiante, scriberentur, et in universo mundo prædicarentur, cunctisque nationibus nuntiarentur » (*Commentaria in Lucam,* pars I, cap. II: PL 165, 355).

ANT. AD INTROITUM

Beáta es, sancta María, Virgo sápiens,
quæ Verbum veritátis tuo grémio contulísti;
beáta es, Virgo prudens,
quæ óptimam partem elegísti.

COLLECTA

Pater sancte, ætérne Deus,
qui in beáta Vírgine María
regálem Sapiéntiæ tuæ sedem misericórditer collocásti,
illústra, quǽsumus, Ecclésiam tuam lúmine Verbi vitæ,
ut in splendóre veritátis álacris progrédiens
ad plenam tui amóris agnitiónem læta pervéniat.
Per Dóminum.

Vel:

Sapientíssime Deus,
qui lapsum reparatúrus hóminem,
beátam Vírginem Maríam Sapiéntiæ tuæ sedem ordinásti:
da nobis, quǽsumus,
eádem Vírgine intercedénte,
supérbe non sápere
sed plácita tibi humilitáte deservíre.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Sanctífica, quǽsumus, Dómine, hæc múnera tibi obláta,
et, intercedénte gloriósa Vírgine María,
dignam tuæ Sapiéntiæ habitatiónem
in nostris córdibus prǽpara.
Per Christum.

PRÆFATIO

In intemeratis Mariæ visceribus Sapientia ædificavit sibi domum

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia sacraméntum reconciliatiónis nostræ,
ante sǽcula dispósitum,
ubi venit témporum plenitúdo
in beáta Vírgine María imménsa bonitáte adimplésti:
intra intemeráta víscera,
ædificánte sibi Sapiéntia domum,
Creátor témporum in témpore náscitur,
ut, novus homo factus,
nobis vetustátem auférret
et suam donáret novitátem.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM — Prov 9, 5. 6b

Veníte, comédite panem meum,
et bíbite vinum, quod míscui vobis:
et ambuláte per vias prudéntiæ.

Post communionem

Per hæc sancta libámina, quǽsumus, Dómine,
infúnde córdibus nostris lumen sapiéntiæ,
quod almam Vírginem mire replévit,
ut te veráciter agnoscámus
et fidéliter diligámus.
Per Christum.

25

BEATA MARIA VIRGO IMAGO ET MATER ECCLESIÆ

I

Die 21 novembris 1964, cum expleretur III Sessio Concilii Vaticani II, Paulus VI, inter missarum sollemnia, Mariam sanctissimam declaravit « Matrem Ecclesiæ, hoc est totius populi christiani, tam fidelium quam pastorum, qui eam Matrem amantissimam appellant » (AAS 56 [1965] p. 1015) atque statuit ut « suavissimo hoc nomine iam nunc universus christianus populus magis adhuc honorem Deiparæ » (*ibid.*) tribueret.

Exhinc plures Ecclesiæ particulares necnon familiæ religiosæ beatam Virginem sub titulo « Matris Ecclesiæ » venerari cœperunt. Anno autem 1974, ad celebrationes mariales Anni Sancti Reconciliationis (1975) fovendas, hæc missa est exarata, quæ, paulo post, in editionem typicam alteram *Missalis Romani*, inter missas votivas de beata Virgine Maria (pp. 867-869) est recepta.

Formularium multiplices nexus quibus Ecclesia cum beata Virgine coniungitur respicit, sed in primis maternum munus celebrat quo, secundum Dei beneplacitum, sancta Maria in Ecclesia et pro Ecclesia fungitur.

Textus euchologici quattuor momenta historiæ salutis maxime spectant:

— *Verbi incarnationem*, in qua beata Virgo Filium Dei « immaculato corde suscipiens / virgineo meruit sinu concipere / atque, pariens Conditorem, Ecclesiæ fovit exordia » (*Pf*);

— *Christi passionem*: Unigenitus Dei enim, « cruci affixus, / beatam Mariam Virginem, Genetricem suam, / Matrem quoque nostram constituit » (*Co*, cf. *Pf*, *Ant com*);

— *Spiritus Sancti effusionem* die Pentecostes, quo Mater Domini « supplicationem suam discipulorum precibus iungens, / exemplar exsistit orantis Ecclesiæ » (*Pf*);

— *Virginis assumptionem*: sancta Maria enim « ad gloriam evecta cælorum, / Ecclesiam peregrinantem materno prosequitur amore / eiusque gressus ad patriam tuetur benigna, / donec dies Domini gloriosus adveniat » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM Cf. Act 1, 14

Erant discípuli perseverántes unanímiter
in oratióne cum María, matre Iesu.

COLLECTA

Deus, misericordiárum Pater,
cuius Unigénitus, cruci affíxus,
beátam Maríam Vírginem, Genetrícem suam,
Matrem quoque nostram constítuit,
concéde, quǽsumus, ut, eius cooperánte caritáte,
Ecclésia tua, in dies fecúndior, prolis sanctitáte exsúltet
et in grémium suum cunctas áttrahat famílias populórum.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, oblatiónes nostras
et in mystérium salútis convérte,
cuius virtúte,
et caritáte Vírginis Maríæ, Ecclésiæ Matris, inflammémur
et óperi redemptiónis cum ea árctius sociári mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO

De Maria, forma et matre Ecclesiæ

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
Et te in celebratióne beátæ Maríæ Vírginis
débitis magnificáre præcóniis.

Quæ Verbum tuum immaculáto corde suscípiens
virgíneo méruit sinu concípere
atque, páriens Conditórem, Ecclésiæ fovit exórdia.

Quæ iuxta crucem testaméntum divínæ caritátis accípiens
univérsos hómines in fílios assúmpsit,
Christi morte ad supérnam vitam generátos.

Quæ, cum Apóstoli Promíssum exspectárent tuum,
supplicatiónem suam discipulórum précibus iungens,
exémplar éxstitit orántis Ecclésiæ.

Ad glóriam autem evécta cælórum,
Ecclésiam peregrinántem matérno proséquitur amóre
eiúsque gressus ad pátriam tuétur benígna,
donec dies Dómini gloriósus advéniat.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Io 19, 26-27

Ex cruce pendens,
dixit Iesus discípulo, quem diligébat:
Ecce mater tua.

Vel:

Beáta es, María, grátia plena,
mater et virgo:
quæ caritátis, fídei, spei,
Ecclésiæ præfúlges exémplar.

POST COMMUNIONEM

Sumpto, Dómine, pígnore redemptiónis et vitæ,
súpplices adprecámur,
ut Ecclésia tua, matérna Vírginis ope,
et Evangélii præcónio univérsas gentes erúdiat
et Spíritus effusióne orbem terrárum adímpleat.
Per Christum.

26

BEATA MARIA VIRGO IMAGO ET MATER ECCLESIÆ II

Hæc missa Deum Patrem celebrat, qui sua « immensa bonitate » (*Pf*) beatam Virginem Mariam, Christi matrem, Virgini Ecclesiæ dedit tamquam « exemplar virtutum » (cf. *Ant intr, Ant com,* LG 65). « Dum autem Ecclesia ad perfectionem iam pertingit, qua sine macula et ruga existit (cf. Eph 5, 27), christifideles adhuc nituntur, ut devincentes peccatum in sanctitate crescant; ideoque oculos ad Mariam attollunt, quæ toti electorum communitati tamquam exemplar virtutum præfulget » (LG 65):

— *sublimis caritatis,* unde fideles petunt: « ... concede Ecclesiæ tuæ, / ut, præcepto amoris sicut illa obsecuta, / [...] apud omnes gentes / sacramentum tuæ dilectionis exsistat » (*Co*);

— *fidei et spei,* unde fideles rogant ut Ecclesia « beatam Virginem iugiter spectans, / zelo fidei ferveat, / [...] spe futuræ gloriæ roboretur » (*Pc*);

— *summæ humilitatis*: « ... beatam Virginem Mariam nobis exemplar dedisti / [...] summæ humilitatis » (*Co*);

— *perseverantis et unanimis orationis*: nam Apostoli et primi discipuli « erant perseverantes in oratione cum Maria, matre Iesu » (*1 Lect,* Act 1, 12-14); « cum Apostolis deprecatur unanimis » (*Pf*);

— *cultus spiritalis*: « Ecclesiæ tuæ spiritalis cultus fulget exemplar, / quo nosmetipsos exhibere debemus / hostiam sanctam tibique placentem » (*So,* cf. Rom 12, 1);

— *germani cultus liturgici*: mater Iesu — ut admonet Paulus VI — exemplar exsistit « sensus pietatis, quo Ecclesia divina mysteria et celebrat et vivendo exprimit » (MC 16); Maria enim est « Virgo audiens ... Virgo orans ... Virgo pariens ... Virgo offerens » (*Pf,* cf. MC 16-21), Virgo vigilis, præstolans Filii resurrectionem (cf. *Pf*). Breviter: Maria est « totius Ecclesiæ exemplar in divino cultu Deo tribuendo » (MC 21).

ANT. AD INTROITUM

Omni laude digníssima es, sacra Virgo María,
quia ex te ortus est Christus, Deus noster,
et in Ecclésia fulges exémplar virtútum.

Collecta

Dómine Deus,
qui beátam Vírginem Maríam nobis exémplar dedísti
sublímis caritátis et summæ humilitátis,
concéde Ecclésiæ tuæ,
ut, præcépto amóris sicut illa obsecúta,
glóriæ tuæ et hóminum servítio se devóveat
atque apud omnes gentes
sacraméntum tuæ dilectiónis exsístat.
Per Dóminum.

Super oblata

Convérte, Dómine, in sacraméntum salútis
múnera tibi lætánter obláta
in hac memória gloriósæ Vírginis Maríæ,
quæ Ecclésiæ tuæ spiritális cultus fulget exémplar,
quo nosmetípsos exhibére debémus
hóstiam sanctam tibíque placéntem.
Per Christum.

Præfatio

Beata Virgo germani cultus exemplar

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere:
per Iesum Christum Dóminum nostrum.

Quia imménsa bonitáte tua Vírgini Ecclésiæ
germáni cultus exémplar Vírginem dedísti Maríam.

Quæ, Virgo áudiens,
verba tua læta compléctitur
atque, cóndita in corde, tácita confert.

Virgo orans,
laudis cántico tuam extóllit misericórdiam,
pro sponsis sollícita intercédit,
cum Apóstolis deprecátur unánimis.

Virgo páriens,
Fílium génerat Spíritus Sancti virtúte,
et, iuxta crucem, mater proclamátur
novi fœ́deris pópuli.

Virgo ófferens,
tibi in templo Primogénitum sistit
et apud lignum vitæ eius immolatióni conséntit.

Virgo vígilans,
resurrectiónem Fílii incunctánter præstolátur
et Sancti Spíritus effusiónem exspéctat fidélis.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Beáta es, María, grátia plena:
ad te óculos tóllimus,
quæ toti electórum communitáti
exémplar virtútum præfúlges.

POST COMMUNIONEM

Libántes, Dómine, mensæ tuæ sancta mystéria,
corpus et sánguinem Fílii tui pio suscépimus ánimo;
præsta, quǽsumus,
ut, Ecclésia tua, beátam Vírginem iúgiter spectans,
zelo fídei férveat,
confirmétur caritáte,
spe futúræ glóriæ roborétur.
Per Christum.

27

BEATA MARIA VIRGO IMAGO ET MATER ECCLESIÆ III

Hæc missa bonitatem Dei celebrat, qui Ecclesiam suam tanto dilexit amore ut ei beatam Virginem contemplandam daret tamquam imaginem propheticam eius peregrinationis in terris et futuræ gloriæ in cælis: « [Ecclesia] in ea — docet Concilium Vaticanum II — præcellentem Redemptionis fructum miratur et exaltat, ac veluti in purissima imagine, id quod ipsa tota cupit et sperat cum gaudio contemplatur » (SC 103).

Beata Virgo enim, « speculum sine macula Dei maiestatis » (*Ant com*, cf. Sap 7, 26; cf. *Ant intr*), Ecclesiæ purissimam imaginem præbet perfectæ discipulæ, integræ virginis, fidelis sponsæ, sollicitæ matris, reginæ gloria coronatæ. Liturgia ergo beatam Virginem celebrat:

— *discipulam* in Christi sequela perfectam. Unde supplices exoramus ut Ecclesia, « fixis in eam [Mariam] oculis, Christum fideliter sequatur » (*Co*), atque conformetur « de die in diem ad Christi [...] imaginem, / quam in gloriosa eius Matre miratur et exaltat » (*So*);

— « *virginem* fidei integritate conspicuam » (*Pf*), cui iugiter Ecclesia se conformat: etenim « et ipsa est virgo, quæ fidem Sponso datam integram et pure custodit » (LG 64);

— « *sponsam* indissolubili amoris vinculo / Christo coniunctam atque illius sociatam passioni » (*Pf*), quam Ecclesia « in lumine Verbi hominis facti contemplans, in summum incarnationis mysterium venerabunda penitius penetrat, Sponsoque suo magis magisque conformatur » (LG 65);

— « *matrem* Sancti Spiritus obumbratione fecundam, / de cunctorum hominum bono sollicitam » (*Pf*), cuius Ecclesia « caritatem imitans, voluntatemque Patris fideliter adimplens, per verbum Dei fideliter susceptum et ipsa fit mater: prædicatione enim ac baptismo filios, de Spiritu Sancto conceptos et ex Deo natos, ad vitam novam et immortalem generat » (LG 64);

— « *reginam* virtutum ornatam monilibus, / [...] gloriæ Domini sui in æternum consortem » (*Pf*), in qua « Ecclesia futuræ suæ gloriæ / purissimam contemplatur imaginem » (*Ant intr*, cf. SC 103; cf. *So*, *Pf*).

ANT. AD INTROITUM

Salve, sancta María,
spéculum sine mácula!
In te Ecclésia futúræ suæ glóriæ
puríssimam contemplátur imáginem.

COLLECTA

Deus, cuius poténtia et bonitáte
beáta Virgo, præcéllens redemptiónis fructus,
puríssima fulget Ecclésiæ imágo,
concéde plebi tuæ in terris peregrinánti,
ut, fixis in eam óculis, Christum fidéliter sequátur,
donec ad illam pervéniat glóriæ plenitúdinem,
quam in sancta María cum gáudio contemplátur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Oblátio nos, Dómine, tuo nómini dicáta puríficet,
et Ecclésiam tuam
de die in diem ad Christi confórmet imáginem,
quam in gloriósa eius Matre mirátur et exáltat
Qui vivit.

PRÆFATIO

Beata Virgo futuræ gloriæ Ecclesiæ præfulget imago

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui Ecclésiæ tuæ beátam Vírginem Maríam
matérni múneris et futúræ glóriæ
puríssimam dedísti imáginem:
vírginem fídei integritáte conspícuam;
sponsam indissolúbili amóris vínculo
Christo coniúnctam atque illíus sociátam passióni;
matrem Sancti Spíritus obumbratióne fecúndam,
de cunctórum hóminum bono sollícitam;
regínam virtútum ornátam monílibus,
sole amíctam et stellis coronátam,
glóriæ Dómini sui in ætérnum consórtem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Sap 7, 26

Candor es, Virgo María, lucis ætérnæ
et spéculum sine mácula Dei maiestátis
et imágo bonitátis illíus.

Vel: Lc 1, 31

Ecce concípies in útero, et páries fílium,
et vocábis nomen eius Iesum.

POST COMMUNIONEM

Concéde, Dómine, Ecclésiæ tuæ,
ut, huius sacraménti virtúte roboráta,
sémitas Evangélii alácriter percúrrat
donec beátam pacis visiónem attíngat,
qua Virgo María, húmilis ancílla tua,
iam frúitur in ætérnum glorióśa.
Per Christum.

28

COR IMMACULATUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

Sabbato post dominicam secundam post Pentecosten liturgia Romana, peculiari formulario, memoriam celebrat Immaculati Cordis beatæ Mariæ Virginis. In *Propriis* autem Ecclesiarum particularium et Institutorum religiosorum plures inveniuntur missæ Cor beatæ Virginis recolentes, quarum aliæ alium eiusdem Cordis commemorant aspectum. Formularium quod hic proponitur, maximam partem, e *Proprio* Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis beatæ Virginis provenit (cf. *Annales Congregationis* 52 [1976] pp. 363-365).

Locutio « Cor Virginis » sensu biblico interpretanda est: personam ipsam beatæ Mariæ Virginis designat; eius « esse » intimum et unicum; centrum et fontem vitæ interioris: intellectus et memoriæ, voluntatis et amoris; animum indivisum, quo Deum et fratres dilexit atque operi salutari Filii impense se devovit.

Formularium celebrat misericordiam Dei, qui cum Cor Domini nostri Iesu Christi testimonium suæ caritatis Ecclesiæ præbuisset, Cor quoque beatæ Mariæ Virginis ei spectandum dedit tamquam exemplar « cordis novi » hominis « novi Fœderis ».

Cor beatæ Virginis, quæ fide et amore plena Verbum Dei suscepit, « domus Verbi » (*Co*) in primis vocatur, necnon « Spiritus Sancti sacrarium » (*Co*, cf. LG 53) propter divinum Spiritum in eo iugiter commorantem. *Immaculatum* (*Co*) autem exhibetur, id est labe immune peccati; *sapiens* (*Pf*), quia beata Virgo, prophetias cum factis conferens, in eo memoriam servabat verborum et rerum ad mysterium salutis pertinentium (cf. Lc 2, 19. 51); *docile* (*Pf*, cf. 1 Reg 3, 9), quod præceptis Domini libens adhæsit (cf. Lc 1, 48); *novum* (*Pf*), iuxta Ezechielis prophetiam (cf. Ez 18, 31; 36, 26), novitate gratiæ indutum a Christo promeritæ (cf. Eph 4, 23-24); *mite* (*Pf*), ad instar Cordis Christi monentis: « Discite a me, quia mitis sum et humilis corde » (Mt 11, 29); *simplex* (*Pf*), id est ab omni duplicitate alienum ac Spiritu veritatis totum perfusum; *mundum* seu, secundum dominicam beatitudinem (cf. Mt 5, 8), Deum videndi capax; *firmum* (*Pf*) in Dei voluntate amplectenda cum, secundum Simeonis prophetiam (cf. Lc 2, 35), vel persecutio adversus Filium incumberet (cf. Mt 2, 13) vel eius immineret mors (cf. Io 19, 25); *vigile* (*Pf*), nam Christo in sepulcro dormiente, ad instar cordis sponsæ Cantici (cf. Ct 5, 2), vigilavit exspectans Christi resurrectionem.

ANT. AD INTROITUM Sir 24, 25

In me grátia omnis viæ et veritátis,
in me omnis spes vitæ et virtútis.

COLLECTA

Dómine Deus noster,
qui immaculátum Cor beátæ Vírginis Maríæ
domum effecísti Verbi tui
et Spíritus Sancti sacrárium;
concéde nobis, quǽsumus, cor mundum et dócile,
ut, mandátis tuis fidéliter obsequéntes,
te super ómnia diligámus
et fratrum necessitátibus sollíciti consulámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Réspice, Dómine, ad múnera
quæ tibi in memória beátæ Maríæ Vírginis deférimus,
et concéde nobis,
ut, eius exémpla sectántes,
divítias grátiæ Fílii tui
fidéliter custodiámus ac perpétuo meditémur.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Cor beatæ Virginis, cor hominis novæ Legis

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Tu enim beátæ Vírgini Maríæ
cor sápiens et dócile tribuísti,
quo plácita tua perfécte adimpléret;
cor novum et mite,
in quo novi fœderis legem placátus inscríberes;
cor simplex et mundum,
quo mererétur Fílium tuum virgo concípere
et te in ætérnum læta vidére;
cor firmum et vígile,
quo dolóris gládium intrépida sustinéret
et Fílii resurrectiónem exspectáret fidélis.

Unde et nos cum ómnibus Angelis te laudámus,
iucúnda celebratióne clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 2, 19

María conservábat ómnia verba hæc
cónferens in corde suo.

POST COMMUNIONEM

Redemptiónis ætérnæ partícipes effécti,
quǽsumus, Dómine,
ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam ágimus,
et de grátiæ tuæ plenitúdine gloriémur,
et salvatiónis contínuum sentiámus augméntum.
Per Christum.

29

BEATA MARIA VIRGO UNIVERSORUM REGINA

Anno 1954 Pius XII festum instituit beatæ Mariæ Reginæ, die 31 maii celebrandum. Quod Paulus VI anno 1969, cum novum *Calendarium Romanum Generale* promulgaret, ad diem 22 augusti, recurrente octava Assumptionis, opportune transtulit. Dignitas regia enim beatæ Mariæ Virginis ad mysterium pertinet eius plenæ glorificationis et perfectæ conformationis Filio suo, Regi omnium sæculorum: « Immaculata Virgo [...] — docet Concilium Vaticanum II —, expleto terrestris vitæ cursu, corpore et anima ad cælestem gloriam assumpta est, ac tamquam *universorum Regina* exaltata, ut plenius conformaretur Filio suo, Domino dominantium (cf. Ap 19, 16) ac peccati mortisque victori » (LG 59).

Sicut Christi regnum « non est de mundo hoc » (Io 18, 36), ita regalis potestas Virginis non ad ordinem naturæ sed gratiæ pertinet. Inter elementa autem quæ, in ordine gratiæ, regiam dignitatem beatæ Virginis constituunt quattuor præsertim textus missæ celebrant: humilitatem, munus maternum, supplicem intercessionem, signum futuræ gloriæ Ecclesiæ.

Regina gloriosa in cælis est beata Virgo, quia in terris humilis exstitit ancilla (cf. Lc 1, 38. 48), nam iuxta Domini sententiam « qui se humiliat, exaltabitur » (Lc 14, 11). Deus Pater enim qui Christum, usque ad mortem humiliatum (cf. *Pf;* Phil 2, 8), « gloria et honore coronatum ad dexteram » (*Pf;* Ps 8, 6) suam collocavit, « beatam Virginem, humilem ancillam [...] / super choros Angelorum » (*Pf*) pariter exaltavit.

Regina mater est sancta Maria, quia genetrix fuit Regis messianici, qui sedet « super solium David et super regnum eius » (Is 9, 6; cf. *1 Lect,* Is 9, 2-4. 6-7; *Ev,* Lc 1, 26-38) et, ex Dei beneplacito, mater quoque nostra est, ut fatetur Ecclesia: « Deus, qui Filii tui Genetricem / nostram constituisti Matrem atque Reginam » (*Co*).

Regina supplex beata Virgo exsistit, quæ « super choros Angelorum » (*Pf*) exaltata, cum Filio regnat gloriosa « pro cunctis hominibus exorans, / advocata gratiæ et universorum regina » (*Pf;* cf. LG 62).

Regina typum gerens futuræ Ecclesiæ gloriæ est sancta Maria, nam quod in ea, superminenti membro, est factum, in universis fiet Corporis mystici membris. Unde recte intercessionem beatæ Virginis petit Ecclesia ut sua membra « in regno cælesti » consequantur « gloriam filiorum » (*Co*).

Formularium huius missæ invenitur in *Missali Romano,* die 22 augusti, p. 600; præfatio autem precem quodammodo resonat coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis (cf. *Ordo coronandi imaginem beatæ Mariæ Virginis,* pp. 16-17).

ANT. AD INTROITUM Ps 44 (45), 10

Astitit Regína a dextris tuis
in vestítu deauráto,
circúmdata varietáte.

COLLECTA

Deus, qui Fílii tui Genetrícem
nostram constituísti Matrem atque Regínam,
concéde propítius, ut, ipsíus intercessióne suffúlti,
tuórum in regno cælésti consequámur glóriam filiórum.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Memóriam recoléntes beátæ Vírginis Maríæ,
tibi, Dómine, múnera nostra offérimus, deprecántes,
ut eius nobis succúrrat humánitas,
qui tibi oblatiónem seípsum in cruce óbtulit immaculátam.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Beata Virgo, humilis ancilla, in cælis exaltatur regina

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
per Iesum Christum Dóminum nostrum.

Tu enim misericors et iustus
elátos dispérdis et exáltas elísos:
Christum tuum, qui usque ad mortem se humiliávit,
glória et honóre coronátum ad déxteram tuam collocásti,
regem regum et dóminum dominántium;
sed et beátam Vírginem, húmilem ancíllam tuam,
quæ ignomíniam crucis Fílii patiénter sustínuit,
super choros Angelórum exaltásti,
ubi cum ipso regnat gloriósa,
pro cunctis homínibus exórans,
advocáta grátiæ et universórum regína.

Et ídeo, cum innúmeris Angelis,
una te magnificámus laudis voce, dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 1, 45

Beáta es, quæ credidísti,
quóniam perficiéntur ea,
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

POST COMMUNIONEM

Sumptis, Dómine, sacraméntis cæléstibus,
te súpplices deprecámur,
ut, qui beátæ Vírginis Maríæ
memóriam venerándo recólimus,
ætérni convívii mereámur esse partícipes.
Per Christum.

SECTIO SECUNDA

Hæc sectio novem formularia exhibet ad memoriam Matris Domini colendam sub titulis qui eius cooperationem vitæ spiritali fidelium fovendæ significant.

Formularia missarum

30. Beata Maria Virgo, mater et mediatrix gratiæ.
31. Beata Maria Virgo, fons salutis.
32. Beata Maria Virgo, mater et magistra spiritalis.
33. Beata Maria Virgo, mater boni consilii.
34. Beata Maria Virgo, causa nostræ lætitiæ.
35. Beata Maria Virgo, fidei præsidium.
36. Beata Maria Virgo, mater pulchræ dilectionis.
37. Beata Maria Virgo, mater sanctæ spei.
38. Sancta Maria, mater unitatis.

30

BEATA MARIA VIRGO MATER ET MEDIATRIX GRATIÆ

Anno 1921 Benedictus XV (†1922), petente card. Desiderio-Iosepho Mercier († 1926), pro tota natione Belgica officium et missam beatæ Mariæ Virginis omnium gratiarum Mediatricis concessit, die 31 maii celebranda. Apostolica Sedes autem compluribus aliis diœcesibus et institutis religiosis, ipsorum rogatu, idem officium et missam concessit, quo factum est ut memoria beatæ Mariæ Mediatricis fere generalis fieret.

Concilium Vaticanum II, anno 1964, munus beatæ Mariæ in mysterio Christi et Ecclesiæ late explanavit et sensum ac vim « mediationis » beatæ Virginis accurate illustravit: « Mariæ [...] maternum munus erga homines [...] Christi unicam mediationem nullo modo obscurat nec minuit, sed virtutem eius ostendit. Omnis enim salutaris beatæ Virginis influxus in homines non ex aliqua rei necessitate, sed ex beneplacito divino exoritur et ex superabundantia meritorum Christi profluit, eius mediationi innititur, ab illa omnino dependet, ex eadem totam virtutem haurit; unionem autem immediatam credentium cum Christo nullo modo impedit sed fovet » (LG 60).

Anno denique 1971 S.C. pro Cultu Divino missam probavit sub titulo *Beatæ Mariæ Virginis gratiæ Matris ac Mediatricis* quæ, doctrinæ Concilii Vaticani II fideliter adhærens, una simul commemorat munus maternum et mediationis officium beatæ Virginis (cf. *Proprium missarum Ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis,* Curia Generalis OSM, Romæ 1972, pp. 36-37). Nostris temporibus hæc missa multis locis die 8 maii celebratur et, nonnullis immutatis atque addita præfatione, hic proponitur.

Formularium, ut par est, Christum in primis celebrat « verum Deum et hominem verum, / unum [...] mediatorem / semper vivum ad interpellandum pro nobis » (*Pf;* cf. 1 Tim 2, 5; Hebr 7, 25; *So, Pc*). Sed et beatam Virginem « matrem et mediatricem gratiæ » recolit, quia Deus Pater « arcano providentiæ consilio » (*Co;* cf. *Pf*) eam constituit Redemptoris matrem et sociam (cf. *Co, Pf*).

Mater gratiæ est Virgo Maria, quia in suis « castis visceribus / Deum et hominem verum » (*Ant intr*) gestavit et nobis protulit ipsum « gratiæ Auctorem » (*Co;* cf. *All*).

Mediatrix gratiæ est Virgo Maria, quia socia exstitit Christi in maxima gratia nobis comparanda: redemptione nempe et salute, vita divina et gloria sine fine (cf. LG 61).

In formulario « mediatio » beatæ Virginis recte interpretatur tamquam « maternæ caritatis dispensatio » (*Pf*): « intercessionis et veniæ, / impetrationis et gratiæ, / reconciliationis et pacis » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM

Ave, sancta María, fons pietátis,
ómnium gratiárum reférta ubertáte,
in tuis gestans castis viscéribus
Deum et hóminem verum.

Vel:

Salve, sancta Dei Génetrix,
per te nobis est vita pérdita data,
quæ de cælo suscepísti prolem,
et mundo genuísti Salvatórem.

COLLECTA

Deus, qui arcáno providéntiæ consílio,
beátam Vírginem Maríam grátiæ Auctórem proférre voluísti
eíque in humánæ redemptiónis mystério sóciam dedísti,
præsta supplícibus tuis
ut ipsa et gratiárum cópiam nobis obtíneat
et ad portum salútis nos perdúcat ætérnæ.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, hóstias placatiónis et laudis,
in hac memória gloriósæ Vírginis Maríæ tibi oblátas,
et, Spíritus Sancti operánte virtúte,
sacraméntum éffice redemptiónis humánæ,
ut quod institúto Christi Mediatóris nos tibi concíliat
nobis fiat gratiárum fons et perénnis vena salútis.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beatæ Virginis maternæ caritatis dispensatio

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quem, verum Deum et hóminem verum,
unum inter te et hómines constituísti mediatórem,
semper vivum ad interpellándum pro nobis.

Sed tuæ bonitátis consílio statuísti
ut beáta Virgo María, Redemptóris mater et sócia,
munus in Ecclésia exercéret matérnum:
intercessiónis et véniæ,
impetratiónis et grátiæ,
reconciliatiónis et pacis.

Quæ matérnæ caritátis dispensátio
tota ex única Christi mediatióne pendet
totámque ex illa haurit virtútem.

Unde fidéles, in angústiis et perículis versántes,
ad beátam Vírginem fidéntes confúgiunt,
quam matrem misericórdiæ ínvocant et grátiæ minístram.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Ap 22, 17

Spíritus et Sponsa dicunt: Veni.
Et qui audit, dicat: Veni.
Et qui sitit, véniat;
et qui vult, accípiat aquam vitæ gratis.

POST COMMUNIONEM

Salutáribus, Dómine, fóntibus recreáti,
te súpplices exorámus
ut, sacraménti virtúte ac beátæ Vírginis intervéntu,
Christo Mediatóri intímius adhæréntes,
fidélius in dies redemptiónis inserviámus mystério.
Qui vivit.

31

BEATA MARIA VIRGO, FONS SALUTIS

Titulo « fontis » Mater Domini haud raro decoratur in textibus euchologicis tum Orientalis tum Occidentalis Ecclesiæ; appellatur enim: « fons aquæ vivæ », « fons caritatis », « fons clementiæ », « fons gratiæ », « fons misericordiæ », « fons signatus » (cf. *1 Lect*, Cant 4, 12), « fons salutis » ... (cf. G. G. Meersseman, *Der Hymnos Akathistos im Abendland* vol. II, Universitätsverlag, Freiburg Schw. 1960, pp. 309-310).

Sed et plura sunt sanctuaria beatæ Virgini sub titulo « fontis » dicata, apud quæ haud raro fons aquarum scatet, quo fideles ad aquam hauriendam concurrunt. In his eminet, in Orientis partibus, celeberrimum sanctuarium Deiparæ de Fonte Vivifico in urbe Constantinopolitana, sæculo VI erectum; in Occidentis autem partibus, sanctuarium in oppido vulgo Lourdes ædificatum, prope specum ubi beata Virgo anno 1854 sanctæ Mariæ Bernardæ Soubirous se conspiciendam dedit et fontem aquarum excitavit.

In formulario celebrantur:

— *maternitas divina beatæ Virginis,* quia Dominus Deus per eam « nobis venam salutis » (*Co*) aperuit; Maria enim Verbum « ineffabiliter de se genuit incarnatum, / Iesum Christum, fontem aquæ vivæ » (*Pf*). Ipse autem est verum Dei templum (cf. Io 2, 21), ex quo aquæ salutares egrediuntur omnia sanantes ad quæ venerunt (cf. *1 Lect*, Ez 47, 1-2. 8-9. 12); ipse sitientes invitat ut ad se veniant et bibant (cf. *Ant com*, Io 7, 37), accipiant scilicet donum Spiritus Sancti, qui credunt in eum (cf. Io 7, 39); ipse est petra (cf. 1 Cor 10, 4), lancea percussa, ex qua « continuo exivit sanguis et aqua » (*Ev*, Io 19, 25-37);

— *maternitas spiritalis sanctæ Ecclesiæ*: ipsa enim, mater provida, sitim fidelium extinguit eis præbens « aquas [...] salutis / de latere Christi manantes, / quas in sacramentis fecundas servat et puras » (*Pf*), maxime in eucharistico convivio, ubi fideles hauriunt « aquas in gaudio de fontibus Salvatoris » (*Pc;* cf. *Ps resp*, Is 12, 3) et « perceptum sacramentum » fit eis « fons aquæ [...] in vitam æternam salientis » (*Pc*);

— *effusio Sancti Spiritus,* quæ in Scriptura symbolo effusionis aquarum sæpe indicatur. In Antiphona ad introitum verba recoluntur Isaiæ: « Effundam aquas super terram sitientem, / Spiritum meum super semen tuum / et benedictionem super stirpem tuam » (cf. Is 44, 3). Fons autem ex quo manat aqua sunt Christus ipse (« ex hoc fonte vitæ iugiter haurientes, / uberrimos referamus Sancti Spiritus fructus » [*Co*]) et sacramenta ab eo condita, quæ fideles « sumentes Spiritu Sancto » (*Pf*) replentur.

Nonnulli textus formularii et lectiones alteræ pro liturgia verbi desumpta sunt e fasciculo *Propio de la misa y de la liturgia de las horas de la diócesis de Cartagena,* Cartagena 1985, pp. 32-34.

ANT. AD INTROITUM Cf. Is 44, 3-4

Effúndam aquas super terram sitiéntem,
Spíritum meum super semen tuum
et benedictiónem meam super stirpem tuam:
et germinábunt quasi sálices iuxta præterfluéntes aquas.

Vel: Ps 45 (46), 5-6a

Flúminis rivi lætíficant civitátem Dei,
sancta tabernácula Altíssimi.
Deus in médio eius, non commovébitur.

COLLECTA

Dómine, sancte Pater,
memóriam beátæ Maríæ Vírginis læti celebrántes,
per quam nobis venam salútis aperuísti,
Iesum Christum, Fílium tuum,
súpplices te rogámus,
ut, ex hoc fonte vitæ iúgiter hauriéntes,
ubérrimos referámus Sancti Spíritus fructus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Convérte, Dómine, in sacraméntum salútis
múnera tibi lætánter obláta
in hac memória gloriósæ Vírginis Maríæ,
cuius intercessióne Fílius tuus abundántiam aquárum,
mirándo signo in vinum mutávit.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Beata Virgo, Iesum Christum, fontem aquæ vivæ genuit

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum Spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac celebratióne gloriósæ Vírginis Maríæ
te débitis magnificáre præcóniis.

Beáta Virgo enim, umbra Sancti Spíritus tecta,
Verbum tuum ineffabíliter de se génuit incarnátum,
Iesum Christum, fontem aquæ vivæ,
ex quo hauriéntes univérsi hómines
communiónis atque amóris tui sitim exstínguerent.

Sed et Ecclésia cunctis fidélibus aquas præbet salútis
de látere Christi manántes,
quas in sacraméntis fecúndas servat et puras,
ut, eas fide suméntes Spíritu Sancto repleántur
et ipsum Christum invéniant Salvatórem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM — Io 7, 37

Si quis sitit, véniat ad me et bibat,
qui credit in me,
dicit Dóminus.

Vel: Is 55, 1

Omnes sitiéntes, veníte ad aquas;
émite et comédite,
veníte, émite absque argénto
et absque ulla commutatióne vinum et lac.

POST COMMUNIONEM

Cælésti, Dómine, convívio satiáti,
háusimus aquas in gáudio de fóntibus Salvatóris;
concéde nobis, memóriam beátæ Maríæ celebrántibus,
ut percéptum sacraméntum
fons aquæ fiat in vitam ætérnam saliéntis.
Per Christum.

32

BEATA MARIA VIRGO
MATER ET MAGISTRA SPIRITALIS

Fratres et sorores Carmelitæ, sive antiquæ observantiæ sive a sancta Teresia a Iesu († 1582) provide reformati, omnibus temporibus multum adlaborarunt ut amor orationis, studium evangelicæ perfectionis acquirendæ necnon cultus erga Christi Matrem longe lateque diffunderentur.

Beatam Virginem sub titulo « de Monte Carmelo » maxime venerantur; quæ eos, iter « ad montem, qui Christus est » (*Co*) facientes, ut Mater amantissima fovet, Patrona tutissima protegit, Soror comitatur fidelis. Carmelitæ vero cum totum mysterium beatæ Mariæ Virginis intueantur assidue, libenter tamen sistunt in contemplatione Virginis vel orationi intentæ, vel absconditam vitam ducentis, vel verba Domini in corde conferentis, vel caritatis opera præstantis.

A fratribus et sororibus Carmelitis beata Virgo « Mater et Magistra spiritalis » semper est agnita eo quod perfecta fuit Christi discipula et filios quos Deo « generare non desinit » (*Pf*) « ad perfectam caritatem persequendam, / urget amore, attrahit exemplis » (*Pf*).

In formulario beata Virgo celebratur ut:

— *Magistra,* quæ, verba Domini in corde servans (cf. *All, Ant com,* Lc 2, 19. 51), nos « docet exemplis » (*So*) « timorem Domini » (*Ant intr,* cf. Ps 33 [34], 12); quam, cum sit « vitæ evangelicæ imago » (*Pf*), « supplices intuentes, discimus » Deum « super omnia diligere », eius Verbum « iugiter contemplari », impense « fratribus deservire » (*Pf*);

— *Mater,* quæ suaviter nos invitat ut « ascendamus ad montem Domini » (*Ant intr;* cf. Is 2, 3), qui est ipse Christus (cf. *Co*); mater, per quam Sapientia dicit: « Qui me invenerit, inveniet vitam » (Prov 8, 34; cf. *1 Lect,* Prov 8, 17-21. 34-35); quæ nos, cum iuxta crucem Domini ut filios susceperit (cf. *Ev,* Io 19, 25-27), suo « patrocinio custodit » (*So*) suisque munit « præsidiis » (*Co*).

Hæc missa, nonnullis immutatis, e *Proprio missarum Fratrum Discalceatorum Ordinis b.mæ Mariæ Virginis de Monte Carmelo,* apud Curiam Generalem OCD, Romæ 1973, pp. 51-52. 90, desumpta est.

ANT. AD INTROITUM Ps 33 (34), 12; cf. Is 2, 3

Veníte, fílii, audíte me:
timórem Dómini docébo vos.
Veníte, et ascendámus ad montem Dómini,
et ambulábimus in sémitis eius.

COLLECTA

Adiuvet nos, quǽsumus, Dómine,
gloriósæ Vírginis Províæ intercéssio veneránda,
ut, eius muníti præsídiis,
ad montem, qui Christus est, perveníre valeámus.
Qui tecum vivit.

SUPER OBLATA

Per hæc múnera quæ tibi lætántes offérimus,
sanctífica, quǽsumus, Dómine, fámulos tuos,
quos beáta Virgo docet exémplis et patrocínio custódit,
ut promíssa baptísmi fidéliter adimpléntes,
tibi et frátribus sincéro corde desérviant.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo mater filios urget amore, magistra docet exemplis

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in memória beátæ Maríæ semper Vírginis
collaudáre, benedícere et prædicáre.

Quæ mystério Christi tui íntime sociáta,
fílios tibi cum Ecclésia generáre non désinit,
quos ad perféctam caritátem persequéndam,
urget amóre, áttrahit exémplis.

Ipsa enim vitæ evangélicæ exsístit imágo,
quam súpplices intuéntes,
díscimus eius mente te super ómnia dilígere,
eius spíritu Verbum tuum iúgiter contemplári,
eius corde frátribus deservíre.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 2, 19

María conservábat ómnia verba hæc,
cónferens in corde suo.

POST COMMUNIONEM

Pretiósi córporis et sánguinis Fílii tui
nos, Dómine, sacraménto reféctos,
dilectiónis tuæ grátia commúniat
ac beátæ Vírginis Maríæ virtútum
fidéles imitatóres constítuat.
Per Christum.

33

BEATA MARIA VIRGO
MATER BONI CONSILII

Beatam Virginem, boni consilii matrem, ubique terrarum invocant fideles cum Litanias beatæ Mariæ Virginis pie recitant; nam Leo XIII, anno 1903, hanc invocationem formulario Lauretano inseruit. Cultus autem erga beatam Virginem, matrem boni consilii, ex oppido Genestra (Genazzano), prope urbem Romam, ubi celebre sanctuarium ei est dicatum, opera præsertim fratrum et sororum Familiæ augustinianæ longe lateque diffusus est.

Sancta Maria titulo « matris boni consilii » merito decoratur: genetrix est enim Christi, quem Isaias « admirabilem Consiliarium » (Is 9, 5) prophetice vocavit (cf. *1 Lect,* Is 9, 2-7; *Pc*); totam vitam egit ductu « Spiritus consilii », qui eam « mirabiliter obumbravit » (*So*); « intime adhæsit » divino « pietatis consilio / omnia in Christo instaurandi » (*Pf;* cf. Eph 1, 10); a Deo « Sancti Spiritus donis abundanter » (*Pf*) est repleta, in quibus eminet « spiritus sapientiæ » (*Ant intr;* cf. Sap 7, 7b).

In formulario beata Virgo celebratur ut Mater et Magistra quæ, dono consilii ditata, idem grato animo clamitat quod ipsa Sapientia: « Meum est consilium et prudentia, / mea est prudentia, / mea est fortitudo » (*All,* Prov 8, 14); quæ dona cum filiis ac discipulis libenter communicat (cf. *Ant intr*) eos monens ut id in primis agant quod Christus eis dixerit faciendum (cf. *Ev,* Io 2, 1-11; *Ant com,* Io 2, 5).

Hanc missam celebrantes enixe a Deo petimus donum consilii ut quæ sibi « sint placita nos agnoscere faciat / et nos in laboribus nostris dirigat » (*Co;* cf. *Pc*).

Hæc missa, præfatione excepta, e *Proprio missarum Ordinis Fratrum sancti Augustini,* anno 1975 a S. C. pro Cultu Divino probato, sumpta est.

ANT. AD INTROITUM — Sap 7, 7b. 13

Invocávi, et venit in me spíritus sapiéntiæ;
quam sine fictióne dídici
et sine invídia commúnico;
divítias illíus non abscóndo.

COLLECTA

Dómine, qui scis cogitatiónes mortálium
tímidas atque incértas esse,
per intercessiónem beátæ Maríæ Vírginis,
ex qua Fílius tuus incarnátus est,
da nobis consílium tuum,
ut quæ tibi sint plácita nos agnóscere fáciat
et nos in labóribus nostris dírigat.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Spíritus consílii, Dómine,
qui beátæ Vírgini, ancíllæ tuæ, mirabíliter obumbrávit,
tibi reddat accépta hæc dona reverénter obláta.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo intime adhæsit divino pietatis consilio

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus.

Qui beatíssimam Vírginem Maríam
Sancti Spíritus donis abundánter replevísti
ut digna fíeret mater et sócia Redemptóris.

Quibus instrúcta munéribus,
voluntátem tuam iúgiter exquisívit
ac fidéliter adimplévit;
tuam misericórdiam iucúnde magnificávit
atque íntime adhǽsit tuæ pietátis consílio
ómnia in Christo instaurándi.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Io 2, 5

Dicit Mater Iesu minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis fácite ».

POST COMMUNIONEM

Celebrántes, Dómine,
memóriam sanctæ Maríæ, matris boni consílii,
mysteriórum tuórum partícipes sumus effécti;
concéde ut quod tibi placet discámus
et a Fílio tuo, quem, per beátam Vírginem,
admirábilem Consiliárium nobis dedísti
salvi fíeri mereámur.
Qui vivit.

34

BEATA MARIA VIRGO CAUSA NOSTRÆ LÆTITIÆ

Christus Iesus, qui in mundum venit ut pacem et gaudium hominibus afferret (cf. Io 15, 11; 17, 13), nascendo humiles pastores replevit gaudio (cf. Lc 2, 10), a mortuis resurgendo discipulos lætificavit (cf. Io 20, 20; Lc 24, 41), in cælum autem ascendens Apostolos reliquit in gaudio magno (cf. Lc 24, 52); ad dexteram Patris sedens super orientem Ecclesiam Spiritum misit caritatis et gaudii (cf. Gal 5, 22).

Ecclesia sponsa in Christo sponso suum gaudium semper collocavit eumque in dies redamavit pleniore lætitia. Cum autem Iesus ad nos per Mariam venisset, Ecclesia gradatim intellexit beatam Virginem, propter suam cooperationem ad incarnationem Verbi, causam seu originem seu fontem tanti gaudii esse; præterea experta est tristitiam, quam Eva inobœdiendo intulerat mundo, Mariam obœdiendo in gaudium convertisse; unde eam titulo « Causæ nostræ lætitiæ » venerari cœpit. Cultus beatæ Mariæ Virginis sub hoc titulo, præsertim in Gallia et Canadia (*Notre Dame de Liesse*) est propagatus.

Formularium facta salutis recolit a Deo per Christum in Spiritu Sancto patrata, quæ vel beatæ Virgini vel Ecclesiæ vel humano generi gaudium attulerunt. In primis celebrantur:

— *electio beatæ Mariæ,* quæ ab æterno « invenit gratiam apud Deum » (*Ant intr,* cf. Lc 1, 30) et ab eo electa est ut divina habitatio (« ecce ego venio et habitabo in medio tui » [*1 Lect,* Zac 2, 14]), « civitas Dei », quam « fluminis rivi lætificant » (*Ant com,* Ps 45 [46], 5); ideoque tamquam civitas-sponsa « vestimentis salutis » est induta et « indumento iustitiæ » circumdata (cf. *1 Lect* [vel], Is 61, 10). Unde in missa voces lætitiæ sæpe resonant: « Lætare, Virgo Maria » (*Ant intr,* cf. Lc 1, 28); « Iubila et lætare, Filia Sion » (*1 Lect,* Zac 2, 14); « Ave, lætitia humani generis » (*All*);

— *ortus beatæ Virginis,* qui « gaudium annuntiavit universo mundo » (*Pf*);

— *visitatio Mariæ ad Elisabeth,* in qua beata Virgo canticum laudis et iubilationis protulit (cf. *Ps resp,* Lc 1, 46-48. 49-50. 53-54) et ob adventum Salvatoris Ioannes exsultavit infans in utero matris (cf. *Ev,* Lc 1, 39-47);

— *natalis Domini,* nam Deus Filii sui « incarnatione mundum lætificare dignatus » (*Co*) est; partus enim Virginis « nobis Lucem hilarem protulit » (*Pf*) sed et « salutem et gaudium » (*All*);

— *resurrectio Christi*: Deum enim suppplicamus ut per Filii eius « salutiferæ resurrectionis potentiam, / ad æternam mereamur pervenire lætitiam » (*Pc*);

— *assumptio sanctæ Mariæ,* quam « gloriosus transitus [...] ad cælum evexit, / ubi [...] nos sollicita exspectat, / dum [Dei] visione cum ipsa in æternum fruamur » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM Cf. Lc 1, 28. 30-31

Lætáre, Virgo María:
invenísti grátiam apud Deum,
ecce concípies in útero et páries fílium,
et vocábis nomen eius Iesum.

COLLECTA

Deus, qui Fílii tui incarnatióne
mundum lætificáre dignátus es,
concéde nobis,
eius Matrem, causam nostræ lætítiæ, venerántibus,
in via mandatórum tuórum iúgiter ambuláre
et ibi nostra fígere corda ubi vera sunt gáudia.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe múnera, Dómine, exsultántis Ecclésiæ,
et quibus in Christo Salvatóre de intácta Vírgine nato,
cuncta bona contulísti,
perpétuæ fructum concéde lætítiæ.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beatæ Virginis vita, causa nostræ lætitiæ

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac memória beátæ Maríæ, diléctæ fíliæ tuæ,
te débitis magnificáre præcóniis.

Cuius beátus ortus
gáudium annuntiávit univérso mundo;
partus virginális
nobis Lucem hílarem prótulit;
húmilis vita
cunctas illústrat Ecclésias;
gloriósus tránsitus
eam ad cælum evéxit,
ubi, soror et mater, nos sollícita exspéctat,
dum tua visióne cum ipsa in ætérnum fruámur.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Ps 45 (46), 5

Flúminis rivi lætíficant civitátem Dei,
sancta tabernácula Altíssimi.

Vel:

Beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna qui potens est,
et sanctum nomen eius.

POST COMMUNIONEM

In méntibus nostris, quǽsumus, Dómine,
veræ fídei sacraménta confírma,
ut, qui concéptum de Vírgine
Deum verum et hóminem verum confitémur,
per eius salutíferæ resurrectiónis poténtiam,
ad ætérnam mereámur perveníre lætítiam.
Per Christum.

35

BEATA MARIA VIRGO FIDEI PRÆSIDIUM

Beata Virgo mulier est fide præcellens, discipula quodammodo in se colligens ac reverberans præcipua doctrinæ christianæ capita (cf. LG 65), mater filiorum fidem sustinens ac protegens.

Mulier fide præcellens: eam Elisabeth, Præcursoris mater, beatam prædicavit, quia divino nuntio credidit (cf. Lc 1, 45); fide Filium Dei concepit; fide suffulta Iesum secuta est et eius mortem iuxta crucem sustinuit; fide impulsa eum resurrecturum credidit et Promissum Patris exspectavit venturum.

Discipula, fidei dogmata in se colligens: beata Virgo enim « in historiam salutis intime ingressa, maxima fidei placita — ut Concilium Vaticanum II docet — in se quodammodo unit et reverberat » (LG 65); eius immaculata Conceptio libertatem et munificentiam Dei ostendit in instrumentis salutis et gratiæ eligendis; eius adsensus operi incarnationis salvificæ sensum et vim cooperationis hominis salutari Dei consilio declarat; virginalis partus Christum Deum verum esse et hominem verum manifestat; eius sancta vita eiusque condicio — fuit enim virgo, sponsa, mater — lineamenta Ecclesiæ adumbrant; eius in cælos Assumptio futuram hominis gloriam præfigurat.

Mater filiorum fidem sustinens: sancta Maria enim quæ gloriosa regnat in cælis, arcane operatur in terris, filiis suis viam veritatis ostendens. Unde haud raro evenit ut fideles, apud quos amor et cultus erga Christi Matrem indesinenter vigerent, cum omni spiritali auxilio essent destituti, integram tamen servarent fidem.

Quare gloriosa Deipara, quæ hæreses interimit, potentiam erroris conculcat atque idolorum dolum arguit (cf. Hym. *Akathistos*, vv. 111-112; ed. G. G. Meersseman, *Der Hymnos Akathistos im Abendland*, vol. I, Universitätsverlag, Freiburg Schw. 1958, p. 114), iam inde ab antiquis temporibus ut « fidei præsidium » (*Pf*) a populo christiano est invocata.

Hæc missa, in qua petimus ut « constantes » (*So*) et « fortes simus in fide » (*Co*) atque « fidei præcepta sequamur in terris » (*Pc*) maximam partem formularium reproducit cui titulus « Nuestra Señora del Pilar » (cf. *Misal Romano reformado por mandato del Concilio Vaticano II* ... Edición típica aprobada por la Conferencia episcopal española, Coeditores Litúrgicos, Madrid 1978, pp. 659-660).

ANT. AD INTROITUM Cf. Sap 18, 3; Ex 13, 21-22

Tu, Virgo María, sicut colúmna lucis,
quæ per diem ac noctem præcedébat pópulum in desérto
ad ostendéndam ei viam.

Vel:

Gloriósa Parens Christi,
Fílium, quem credéndo suscepísti,
pro nobis passum resurrectúrum credidísti:
tu, pia, Ecclésiæ es fídei præsídium.

COLLECTA

Omnípotens ætérne Deus,
qui beátam Vírginem Maríam,
gloriósam Fílii tui Genetrícem,
præsídium dedísti ómnibus eam invocántibus,
concéde nobis ut, ipsa intercedénte,
fortes simus in fide,
firmi in spe,
constántes in caritáte.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Dómine, sancte Pater,
qui lúmine fídei mentes nostras collustrásti,
concéde ut dona quæ tibi offérimus
et preces quas effúndimus,
intercedénte alma Redemptóris Matre,
constántes in fide nos effíciant
et in caritáte sollícitos.
Per Christum.

PRÆFATIO

Sancta Maria, spes fidelium et fidei præsidium

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
propter innúmera amóris et grátiæ mirabília,
quæ in beáta Vírgine María misericórditer effecísti.

Illa enim nec de origináli culpa suscépit contágium,
nec resolutiónem pértulit in sepúlcro;
in sua virginitáte intácta pérmanens,
speciósus facta est thálamus,
de quo Christus prodit,
lux géntium atque Ecclésiæ sponsus;
Gérmine gloriósa,
spes fulget fidélium et fídei præsídium.

Et ídeo cum cælórum Virtútibus,
in terris te iúgiter celebrámus,
maiestáti tuæ sine fine clamántes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 1, 48

Ex hoc beátam me dicent omnes generatiónes,
quia fecit mihi magna, qui potens est.

POST COMMUNIONEM

Deus, qui multis modis Ecclésiæ tuæ præsens ades,
grátias tibi de suscéptis sacraméntis reférimus
et súpplices deprecámur,
ut, beátæ Maríæ Vírginis freti præsídio,
fídei præcépta sequámur in terris
et ad tuam glóriam in cælis contemplándam
perveníre mereámur.
Per Christum.

36

BEATA MARIA VIRGO MATER PULCHRÆ DILECTIONIS

Missali Romano (ed. 1962), quod usque ad promulgationem *Missalis* secundum normas Concilii Vaticani II instaurati (ed. 1970) viguit, in sectione *Pro aliquibus locis*, die 8 maii (olim 31 maii), continetur missa *Beatæ Mariæ Reginæ sanctorum omnium et Matris pulchræ dilectionis* (pp. [157-158]).

Locutio « mater pulchræ dilectionis » est in Siracide 24, 24 (« Ego mater pulchræ dilectionis et timoris et agnitionis et sanctæ spei »), et a sæculo quidem X, haud raro est adhibita in missis de Beata.

Ecclesia, in hac missa, secundum traditionem cum Orientis tum Occidentis, mysterium et munus beatæ Mariæ celebrans eius spiritalem pulchritudinem cum gaudio contemplatur. Pulchritudo autem splendor est sanctitatis et veritatis Dei, « fontis totius pulchritudinis » (cf. *Co* 2) necnon imago bonitatis et fidelitatis Christi, speciosi « præ filiis hominum » (*Co* 1; Ps 44 [45], 3).

In formulario beata Virgo triplici ratione « pulchra » dicitur: quia, cum sit « gratia plena » (*Ev*, Lc 1, 28) atque « Sancti Spiritus decorata muneribus » (*Co* 3), « speciosa fulget / gloria Filii et ornamento virtutum » (*Co* 2); quia Deum, speciosum Filium cunctosque homines pulchre adamavit, amore scilicet virginali, sponsali, materno; quia mysterii conceptionis et natalis Christi eiusque mortis et resurrectionis (cf. *Pf*) particeps pulchre fuit, id est salutari Dei consilio fortiter ac suaviter, armonice atque fideliter adhæsit.

Ad spiritalem pulchritudinem sanctæ Mariæ celebrandam, formularium figuras et imagines biblicas et patristicas, in sacra liturgia usitatas, adhibet. In sancta Maria enim, quæ « tota pulchra » est et « sine macula » (cf. *Ps resp,* Cant 4, 7), inveniuntur, ad culmen evecta, egregiæ virtutes mulierum Veteris Testamenti: pulchritudo et amor Sponsæ Cantici (cf. *Ant intr* 2, Cant 6, 10; *Ps resp*); decor et sapientia Iudith (cf. *Ant com* 1, Iudt 11, 21); splendor et gratia Reginæ, Regis messianici sponsæ (cf. *Ant com* 2, Ps 44 [45], 3).

« Via pulchritudinis » autem est iter perfectionis christianæ; nam fideles, qui « cum beata Virgine » eam percurrunt (cf. *So*), enituntur « per semitas iustitiæ iugiter ambulare » (*Pc*), et a Deo petunt « ut, a fœditate peccati abhorrentes, / spiritalis pulchritudinis amatores » (*Co* 3) efficiantur.

ANT. AD INTROITUM

Egredímini et vidéte, fíliæ Sion, Regínam vestram,
quam laudant astra matutína,
cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur,
et iúbilant omnes fílii Dei.

Vel: Cf. Cant 6, 10; Lc 1, 42

Tota formósa et suávis es, Fília Sion,
pulchra ut luna, elécta ut sol,
in muliéribus benedícta.

COLLECTA

Deus, cuius mirándo consílio
e virgíneo thálamo Sponsus procéssit Ecclésiæ,
Iesus Christus, speciósus præ fíliis hóminum,
concéde, quǽsumus, gloriósa intercedénte Matre,
lætítiam et pacem ómnibus pópulis
et corda nostra illúmina tuæ sanctitátis splendóre.
Per Dóminum.

Vel:

Dómine Deus,
ad cuius conspéctum húmilis Virgo María speciósa fulget
glória Fílii et ornaménto virtútum,
concéde, quǽsumus,
ut, sicut illa, quæcúmque sunt vera et iusta sectántes,
ad te perveniámus totíus pulchritúdinis fontem
et sanctæ dilectiónis auctórem.
Per Dóminum.

Vel:

Intercédat pro nobis, Dómine, gloriósa Virgo María,
quæ, Sancti Spíritus decoráta munéribus,
tibi plácuit nobísque génuit Unigénitum tuum,

speciósum præ fíliis hóminum,
ut, a fœditáte peccáti abhorréntes,
spiritális pulchritúdinis amatóres efficiámur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Dicátæ tibi, Dómine, quǽsumus,
capiámus oblatiónis efféctum,
ut, cum beáta Vírgine viam pulchritúdinis percurréntes,
cæléstis vitæ proféctibus innovémur
et ad tuam glóriam contemplándam perveníre mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO

Tota pulchra est Maria

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac celebratióne beátæ Vírginis Maríæ,
te débitis magnificáre præcóniis.

Illa pulchra fuit in conceptióne,
qua, ab omni peccáti labe immúnis,
decóra renídet grátiæ fulgóre;

pulchra in partu virgináli,
quo Fílium, splendórem glóriæ tuæ,
mundo prótulit ómnium nostrum salvatórem et fratrem;

pulchra in Fílii passióne, eius purpuráta cruóre,
mitis agna mitíssimo Agno compátiens,
novo matris ornáta múnere;

pulchra in Christi resurrectióne,
cum quo regnat gloriósa,
eius victóriæ consors effécta.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Iudt 11, 19

Non est talis múlier super terram
in aspéctu, et in pulchritúdine,
et in sensu verbórum.

Vel: Ps 44 (45), 3

Diffúsa est grátia in lábiis tuis,
proptérea benedíxit te Deus in ætérnum.

POST COMMUNIONEM

Perpétuo, Dómine, favóre proséquere,
quos réficis divíno mystério,
et, quibus beátam Vírginem Matrem dedísti
speciósam ornaménto virtútum,
concéde per sémitas iustítiæ iúgiter ambuláre.
Per Christum.

37

BEATA MARIA VIRGO MATER SANCTÆ SPEI

Concilium Vaticanum II Constitutionem dogmaticam *Lumen gentium* concludens asseruit beatam Virginem « his in terris, quoadusque advenerit dies Domini (cf. 2 Petr 3, 10), tamquam signum certæ spei et solatii peregrinanti Populo Dei » (LG 68) prælucere. Quæ verba in præfationem missæ de beata Maria Virgine in cælum assumpta fere ad litteram sunt translata (cf. *Missale Romanum, Pf* 15 augusti).

Ecclesia enim munus considerans beatæ Virginis in historia salutis, eam sæpe vocat « spem nostram » (*Ant fin* « Salve, Regina »; *Hym Ld* 8 decembris) ac « matrem spei » (cf. *Hym Of lect* 21 novembris; cf. Sir 24, 24): de nativitate beatæ Mariæ Virginis congaudet, « quæ universo mundo spes fuit et aurora salutis » (*Pc* 8 septembris); de eius salvifica maternitate recogitans, supplex canit: « Æternæ vitæ ianua, / aurem nobis accommoda, / per quam spes vitæ rediit, / quam Eva peccans abstulit » (*Hym Vp* 22 augusti); in mysterio gloriosæ Assumptionis beatam Virginem intuetur tamquam « spem certam salutis », quæ cunctis fidelibus micat « per acuta vitæ » (cf. *Hym Ld* 15 augusti). Die autem 9 iulii, in quibusdam Ecclesiis particularibus memoria liturgica celebratur *Beatæ Mariæ Virginis, matris sanctæ spei,* signanter in Congregatione Passionis Iesu Christi, e cuius *Proprio missarum,* Curia Generalis CP, Romæ 1974, pp. 21-22 nonnulli textus huius formularii sunt ducti.

In hac missa Christi Mater veneratur:

— quod « virtutem spei », in terrestri vitæ cursu, iugiter aluit: « totam spem in » Domino « collocavit » (*Pf*) ac « Filium hominis, quem prophetæ nuntiaverant, / spe sustinuit ac fide concepit » (*Pf*);

— quod, in cælum assumpta, « spes fidelium » (*Ant intr*) facta est; desperantes enim adiuvat (cf. *Ant intr*) cunctosque ad se confugientes respicit, reficit, solatur (cf. *Co* 1, *Co* 2, *Ant intr*);

— quod cunctis filiis Adæ tamquam « signum certæ spei et solacii » (*Pf,* cf. *Co* 2) prælucet « donec dies Domini gloriosus lucescat » (*Pf*).

ANT. AD INTROITUM

Salve, Virgo María, spes fidélium:
tu desperántes ádiuvas,
cunctos réspicis ad te confugiéntes.

COLLECTA

Deus, qui beátam Vírginem Maríam
Matrem sanctæ spei nos venerári tríbuis,
concéde propítius, ut, eius précibus et auxílio,
spem ad cæléstia semper dirigéntes,
terrénæ civitátis múnera séduli expleámus
et quæ speránda crédimus, exspectáta sumámus.
Per Dóminum.

Vel:

Dómine Deus, qui in Ecclésia tua
beátam Vírginem signum certæ spei prælucére voluísti,
concéde propítius,
ut, qui tǽdio vitæ afficiúntur,
ad eam confugiéntes, solácio reficiántur,
et érigant corda qui languent desperatióne salútis.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, quǽsumus, Dómine,
preces pópuli tui cum oblatiónibus hostiárum,
ut, intercedénte beáta María, Fílii tui Genetríce,
nullíus sit írritum votum,
nullíus sit vácua postulátio.
Per Christum.

PRÆFATIO

Sancta Maria supernæ spei exemplar

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
te, Dómine, sancte Pater, summis láudibus celebráre,
qui Iesum Christum humáno géneri
Auctórem salútis providísti
eíque supérnæ spei exémplar dedísti Maríam.

Húmilis namque Ancílla tua
totam spem in te, Dómine, collocávit:
Fílium hóminis, quem prophétæ nuntiáverant,
spe sustínuit ac fide concépit,
eiúsque óperi strénua caritáte insérviens
mater facta est cunctórum vivéntium;
sed et ipsa, redemptiónis fructus præcélsus,
soror est ómnium filiórum Adæ,
qui ad plenam gradiéntes libertátem,
suspíciunt Maríam, signum certæ spei et solácii,
donec dies Dómini gloriósus lucéscat.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM — Cf. Lc 1, 45

Beáta es, quæ credidísti,
quóniam perficiéntur ea
quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Vel: — Tit 2, 12-13

Iuste et pie vivámus in hoc sǽculo,
exspectántes beátam spem
et advéntum glóriæ magni Dei
et salvatóris nostri Iesu Christi.

POST COMMUNIONEM

Sumptis, Dómine, salútis et fídei sacraméntis,
súpplices te deprecámur,
ut, beátam Vírginem, spei matrem, devóte recoléntes,
supérnæ caritátis cum ipsa partícipes fíeri mereámur.
Per Christum.

38

SANCTA MARIA, MATER UNITATIS

Exemplum Christi ad Patrem orantis ut « omnes unum sint » (*Ev* 2, Io 17, 21) cunctos urget eius discipulos ut et ipsi enixas fundant preces pro christianorum unitate.

Ecclesia catholica, unitatis christianorum, quin etiam omnium hominum, zelo accensa, Deum exorat ut, intercedente beata Virgine, « cunctæ familiæ populorum, / [...] in unum novi fœderis populum congregentur » (*Co*). Ecclesia enim hoc sibi persuasum habet: causam unitatis christianorum ad spiritalis maternitatis beatæ Mariæ Virginis officium proprie attinere (cf. Leo XIII, Epist. encyclica *Adiutricem populi*: AAS 28 [1895-1896] p. 135). Unde Paulus VI haud semel beatam Virginem « Matrem unitatis » appellavit (cf. *Insegnamenti di Paolo VI,* III, p. 69).

Formularium huius missæ Deum in primis celebrat « fontem unitatis et originem concordiæ » (cf. *Co*); unum deinde Mediatorem Dei et hominum, Iesum Christum, recolit (cf. *1 Lect* [vel], 1 Tim 2, 5), qui, pridie quam pateretur, Patrem pro discipulis rogavit ut in unum essent consummati (cf. *Ev* 2, Io 17, 20-26); sed et beatam Virginem commemorat, quæ in quibusdam factis salutis ad « mysterium unitatis » pertinentibus, eximias habuit partes:

— in *incarnationis mysterio,* cum in eius « purissimo gremio » Dei Verbum indissolubili vinculo « divinam naturam sociavit humanæ » (*So*);

— in *virginali maternitate,* cum Dei Filius « corde et corpore incorruptam sibi Matrem elegit » (*Pf*), quæ imago esset unius et indivisæ Ecclesiæ sponsæ (cf. *Pf*);

— in *Christi passione,* cum Iesus, « exaltatus a terra, adstante Virgine Matre, / dispersos filios » Dei « in unum congregavit » (*Pf*);

— in *Spiritus Sancti effusione,* cum Iesus ad Patrem reversus « super beatam Virginem una cum Apostolis orantem, / Spiritum misit concordiæ et unitatis, pacis et veniæ » (*Pf;* cf. *Ant intr* 2).

ANT. AD INTROITUM — Cf. Tob 13, 13

Gaude et lætáre, Virgo María,
quóniam omnes fílii Dei colligéntur
et benedícent Dómino ætérno.

Vel: Cf. Act 1, 14

Erant discípuli perseverántes unanímiter
in oratióne cum María, matre Iesu.

COLLECTA

Dómine, sancte Pater,
fons unitátis et orígo concórdiæ,
concéde ut cunctæ famíliæ populórum,
intercedénte beáta Vírgine María, hóminum Matre,
in unum novi fœderis pópulum congregéntur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Memóriam celebrántes beátæ Maríæ Vírginis,
cuius in puríssimo grémio
Fílius tuus divínam natúram sociávit humánæ,
te, Dómine, supplíciter exóramus,
ut hæc oblátio fiat nobis sacraméntum pietátis,
signum unitátis et vínculum caritátis.
Per Christum.

PRÆFATIO

De munere beatæ Virginis in Ecclesiæ unitate fovenda

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Ille enim, integritátis auctor et unitátis amátor,
corde et córpore incorrúptam sibi Matrem elégit
atque unam et indivísam vóluit Ecclésiam sponsam.

Qui, exaltátus a terra, adstánte Vírgine Matre,
dispérsos fílios tuos in unum congregávit,
amóris néxibus sibi devínctos.

Sed ad te revérsus atque ad déxteram tuam sedens,
super beátam Vírginem una cum Apóstolis orántem,
Spíritum misit concórdiæ et unitátis, pacis et véniæ.

Unde et nos, Dómine, cum Angelis et Sanctis univérsis,
tibi confitémur, in exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. 1 Cor 10, 17

Unus panis et unum corpus multi sumus,
omnes qui de uno pane et de uno cálice participámus.

POST COMMUNIONEM

Per hæc sancta quæ súmpsimus, Dómine,
in hac memória sanctæ Maríæ, unitátis Matris,
Spíritum mansuetúdinis et pacis nobis cleménter infúnde,
ut concórdes operántes,
regni tui festinémus advéntum.
Per Christum.

SECTIO TERTIA

Hæc sectio octo formularia proponit ad memoriam sanctæ Mariæ celebrandam sub titulis qui eius misericordem intercessionem in favorem fidelium ostendunt.

FORMULARIA MISSARUM

39. Sancta Maria, regina et mater misericordiæ.
40. Beata Maria Virgo, divinæ providentiæ mater.
41. Beata Maria Virgo, mater consolationis.
42. Beata Maria Virgo, auxilium christianorum.
43. Beata Maria Virgo de Mercede.
44. Beata Maria Virgo, salus infirmorum.
45. Beata Maria Virgo, regina pacis.
46. Beata Maria Virgo, ianua cæli.

39

SANCTA MARIA REGINA ET MATER MISERICORDIÆ

Titulus huius formularii duos titulos, qui frequenter beatæ Virgini tribuuntur, comprehendit, utrumque suavitatis plenum atque fidelibus pergratum: « Reginæ misericordiæ » et « Matris misericordiæ ».

Titulus « Reginæ misericordiæ » (cf. *Ant intr, Co* 2, *All*) benignitatem, largitatem, dignitatem beatæ Virginis celebrat, quæ in cælis exaltata, figuram adimplens reginæ Esther (cf. *1 Lect,* Est 4, 17), Filium suum « indesinenter exorat » (*Pf*) pro populi salute, qui in tribulationibus et periculis ad eam fidenter confugit. Beata Virgo igitur est « Regina clemens » (*Pf, Pc*) « quæ misericordiam [Dei] singulariter experta, / omnes ad eam confugientes recipit » (*Pf;* cf. *Pc*); quare « solamen pænitentium ac spes miserorum » (*Ant intr*) merito salutatur.

Titulo autem « Matris misericordiæ (cf. *Co* 1, *Pf, So*), quem sanctus Odo († 942), abbas Cluniacensis, beatæ Virgini primus tribuisse creditur (cf. *Vita Odonis* I, 9: PL 133, 47), recte celebratur sancta Maria sive quia nobis genuit Iesum Christum, visibilem misericordiam invisibilis Dei miserentis, sive quia est spiritalis mater fidelium, gratiæ et misericordiæ plena: beata Virgo « "Mater misericordiæ" dicta est — ait sanctus Laurentius a Brundisio —, hoc est misericordissima, Mater clementissima, Mater tenerrima, amantissima » (*Mariale,* Sermo secundus super "Salve Regina", III: *Opera omnia,* I, Ex Offic. Typographica Seminarii, Patavii 1928, p. 391). Mater Iesu enim, in cælis locata, fidelium necessitates exhibet Filio, quem, cum esset in terris, pro sponsis Canæ rogavit (cf. *Ev,* Io 2, 1-11).

In missæ formulario beata Virgo celebratur quoque tamquam:

— *prophetissa Dei misericordiam extollens* (cf. *Ev,* Lc 1, 39-55); etenim in cantico « Magnificat » bis laudavit miserentem Deum: « Misericordia eius in progenies et progenies / timentibus eum »; « Suscepit Israel puerum suum, / recordatus misericordiæ » (Lc 1, 50. 54) (cf. *Ant com* 2). Unde fideles exoptant « misericordiam [Dei] cum beata Virgine iugiter extollere » (*Pc*);

— *mulier misericordiam Dei singulariter experta*: « Hæc est Regina clemens, / quæ misericordiam [Dei] singulariter experta, / omnes [...] de tribulatione clamantes exaudit » (*Pf*). Quæ præfationis verba resonare videntur quod de beata Virgine Ioannes Paulus II ait: « Maria

[...] singulari prorsus extraordinarioque pacto — sicut alius nemo — misericordiam cognovit [...] more extraordinario misericordiam experta » (Litt. encyclicæ *Dives in misericordia,* 9: AAS 72 [1980] pp. 1208. 1209).

Ant. ad introitum

Salve Regína misericórdiæ,
Mater Christi glorióśa,
solámen pæniténtium ac spes miserórum.

Collecta

Deus, cuius misericórdiæ non est númerus,
concéde nobis, intercedénte beáta María Vírgine,
misericórdiæ Matre,
ut, cleméntiam tuam experiéntes in terris,
glóriam cónsequi mereámur in cælis.
Per Dóminum.

Vel:

Aures tuæ pietátis inclína, sancte Pater,
ad fílios tuos qui, culpa graváti, ad te revertúntur,
et tuam ínvocant cleméntiam, qua motus,
Fílium tuum misísti mundi Salvatórem
et sanctam Maríam constituísti misericórdiæ Regínam.
Per Dóminum.

Super oblata

Súscipe, Dómine, múnera pópuli tui,
et præsta,
ut, qui beátam Vírginem cólimus Matrem misericórdiæ,
misericórdes in fratres non exhibéntes,
indulgéntem erga nos te inveníre mereámur.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo, regina pietatis, mater misericordiæ

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac celebratióne beátæ Vírginis Maríæ
te débitis magnificáre præcóniis.

Hæc est regína clemens,
quæ misericórdiam tuam singuláriter expérta,
omnes ad eam confugiéntes récipit,
ac de tribulatióne clamántes exáudit.

Hæc est mater misericórdiæ,
ad preces filiórum semper inclináta,
ut eis indulgéntiam obtíneat
et véniam ímpetret peccatórum.

Hæc est minístra pietátis,
quæ Fílium tuum pro nobis indesinénter exórat,
ut sua grátia nostram ditet paupertátem,
sua virtúte nostram róboret infirmitátem.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Lc 6, 36

Estóte misericórdes,
sicut et Pater vester mísericors est.

Vel: Lc 1, 49-50

Fecit mihi magna, qui potens est,
et sanctum nomen eius,
et misericórdia eius in progénies et progénies
timéntibus eum.

POST COMMUNIONEM

Cælésti alimónia reféctis,
da nobis, quǽsumus, Dómine,
misericórdiam tuam cum beáta Vírgine iúgiter extóllere
atque illíus experíri tutélam,
quam Regínam cleméntem in peccatóres profitémur
et in páuperes misericórdem.
Per Christum.

40

BEATA MARIA VIRGO DIVINÆ PROVIDENTIÆ MATER

Anno 1744 Benedictus XIV († 1758) Congregationi Clericorum Regularium sancti Pauli (Barnabitarum) missam in honorem beatæ Mariæ Virginis, « Divinæ Providentiæ Matris », Romæ apud ecclesiam sancti Caroli vulgo « ai Catinari » pie veneratæ, concessit, sabbato ante dominicam III novembris celebrandam. Quam memoriam plura alia Instituta religiosa rite colunt.

Hoc titulo munus celebratur quod Deus, « cuius providentia in sui dispositione non fallitur » (*Co*), beatæ Virgini commisit ut esset:

— *benignissima Mater Christi* (*So*); « providenti dispensatione » enim « beata Virgo Maria [...] mundi genuit Salvatorem » (*Pf*);

— *provida hominum mater* (*Pf*), « quos Christus Iesus a cruce illi commendavit » (*Pf*);

— *ministra pietatis* (*Pf*); etenim quæ in Cana Galilææ pro sponsis Filium rogavit (cf. *Ev*, Io 2, 1-11; cf. *Pf*), « nunc, regina sedens ad dexteram Filii, / cunctis Ecclesiæ necessitatibus succurrit » (*Pf*).

Beata Virgo ergo « Mater divinæ providentiæ » dicitur quia a Deo providentissimo nobis ut provida mater data est, quæ bona cælestia nobis intercedendo provideret. Ad similitudinem Dei, qui populi sui oblivisci nequit (cf. *Ant intr*, Is 49, 15) immo eum ut mater solatur, beata Virgo nostri miseretur (cf. *Ant intr*), pro nobis intercedit (cf. *Co*, *So*, *Pc*), Ecclesiæ necessitatibus subvenit (cf. *Pf*), nos replet consolatione (cf. *1 Lect*, Is 66, 10-14).

Unde fit ut fideles, tantæ Matris patrocinio suffulti, « gratiam » inveniant « in auxilio opportuno » (*So;* cf. Hebr 4, 16) et, secundum Domini præceptum, regnum Dei et iustitiam eius « ante omnia quærentes, / temporalibus non destituantur auxiliis » (*Pc*, cf. Mt 6, 33).

Maior pars textuum huius missæ desumpti sunt e volumine *Missæ Propriæ*, Curia Generalis Clericorum Regularium sancti Pauli, Romæ 1981, pp. 60-76.

ANT. AD INTROITUM — Is 49, 15

Numquid oblivísci potest múlier infántem suum,
ut non misereátur fílio úteri sui?
Et si illa oblíta fúerit,
ego tamen non oblivíscar tui.

Collecta

Deus, cuius providéntia in sui dispositióne non fállitur,
te súpplices exorámus:
ut, intercedénte beáta Vírgine, Fílii tui Genetríce,
nóxia cuncta submóveas,
et ómnia nobis profutúra concédas.
Per Dóminum.

Super oblata

Múnera Ecclésiæ tuæ, Dómine, propitiátus assúme:
ut, benigníssima Fílii tui Matre intercedénte,
misericórdiam consequámur
et grátiam inveniámus in auxílio opportúno.
Per Christum.

Præfatio

Beata Virgo ministra pietatis ac provida mater

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia, ex tua providénti dispensatióne,
beáta Virgo María, Sancto obumbránte Spíritu,
mundi génuit Salvatórem.

In Cana Galilǽæ pro sponsis Fílium rogávit,
qui inítium fecit signórum:
unda rubéscit, lætántur convívæ
atque in Magístrum credunt discípuli.

Et nunc, regína sedens ad déxteram Fílii,
cunctis Ecclésiæ necessitátibus succúrrit,
atque unicuíque nostrum,
quos Christus Iesus a cruce illi commendávit,
minístra pietátis adest ac próvida mater.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Ps 86 (87), 3; Lc 1, 49

Gloriósa dicta sunt de te, Virgo María,
quia fecit tibi magna, qui potens est.

POST COMMUNIONEM

Cæléstis mensæ virtus, miséricors Deus,
in fámulis tuis iúgiter persevéret;
ut, divínæ providéntiæ Matris intercessióne,
regnum et iustítiam tuam ante ómnia quæréntes,
temporálibus non destituántur auxíliis.
Per Christum.

41

BEATA MARIA VIRGO
MATER CONSOLATIONIS

Facta quibus omnipotens et misericors Deus, populo suo oppressione aut exilio laboranti subvenit, tamquam « Dei consolatio » in sacris litteris repræsentantur. Summa autem hominum consolatio Christus est, quem Pater, ubi plenitudo temporum venit, in mundum misit ut mederetur contritis corde (cf. *1 Lect,* Is 61, 1-3. 10-11).

Sed et beata Virgo Maria « Mater Consolationis » vel « Consolatrix afflictorum » merito et appellatur et colitur. Per eam enim Deus « consolationem populo » suo, « Iesum Christum, / mittere dignatus » (*Co*) est.

Ipsa autem cum Christo in cruce patienti adstitisset acerbissimosque sustinuisset dolores, beatitudinem in Evangelio lugentibus promissam (cf. *Ev* 1, Mt 5, 5) maximopere consecuta est; et cum Dominus eam, resurrectione Iesu, esset consolatus, filios suos, qui in omni pressura sunt, et ipsa consolari valet (cf. *Ant intr,* 2 Cor 1, 3-5).

Post Christi Ascensionem, « cum Apostolis orans, / Spiritum consolationis et pacis / enixe rogavit et exspectavit fidenter » (*Pf,* cf. *Ev* 2, Io 14, 15-21. 25-27).

Quin etiam, in cælum assumpta, pro hominibus, ærumnis afflictis, non desinit materna dilectione intercedere. Unde in Constitutione Concilii Vaticani II de Ecclesia legimus: « Mater Iesu [...] tamquam signum certæ spei et solatii peregrinanti populo Dei prælucet » (LG 68).

Quare Mater Domini sub titulo « Matris Consolationis » vel « Consolatricis afflictorum » multis locis colitur maximeque in urbe Augusta Taurinorum (die 20 iunii), ubi celeberrimum sanctuarium ei est dicatum, et apud complures familias religiosas, in quibus eminent Ordo sancti Augustini et Institutum Missionum a Consolata a Servo Dei Iosepho Allamano († 1926) fundatum.

ANT. AD INTROITUM Cf. 2 Cor 1, 3

Benedíctus Deus, Pater misericordiárum,
et Deus totíus consolatiónis,
qui consolátur nos in omni tribulatióne nostra.

COLLECTA

Deus, qui per Vírginem Maríam,
consolatiónem pópulo tuo, Iesum Christum,
míttere dignátus es;
præsta, quǽsumus, ut, ipsa intercedénte,
omni consolatióne repleámur,
eámque cum frátribus participémus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, sancte Pater, oblatiónem humilitátis nostræ,
quam tibi læti exhibémus,
memóriam beátæ Maríæ Vírginis celebrántes;
et præsta ut nobis, sacrifício Christi sociátis,
temporális fiat consolátio et ætérna salvátio.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo a Domino consolata
facta est hominum consolatrix

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est nos tibi grátias ágere
et hymnum offérre benedictiónis et laudis,
omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quem, mundi consolatiónem,
beáta Virgo cum gáudio suscépit
et intemerátis génuit viscéribus.

Iuxta crucem autem Fílii,
cum acerbíssimos sustinuísset dolóres,
spe illíus resurrectiónis a te est consoláta.

Cum Apóstolis orans,
Spíritum consolatiónis et pacis
eníxe rogávit et exspectávit fidénter.

Et nunc, in cælum assúmpta,
omnes eam cum fide invocántes,
matérno solátur amóre,
donec dies Dómini gloriósus lucéscat.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Cf. Ps 86 (87), 3. 7

Gloriósa dicta sunt de te, María:
sicut lætántium ómnium habitátio est in te.

POST COMMUNIONEM

Paschálibus sacraméntis refécti,
quæsumus, Dómine,
ut, qui Genetrícis Fílii tui memóriam recólimus,
mortis mystérium in córpore nostro cotídie experiéntes,
supérna spe inníxi,
núntium resurrectiónis cotídie manifestémus.
Per Christum.

42

BEATA MARIA VIRGO AUXILIUM CHRISTIANORUM

Præstantissimum Deiparæ auxilium in persecutionibus a fidei christianæ hostibus excitatis, Ecclesia sæpe experta est. Unde iam inde a primis ævi christiani sæculis mos invaluit, in persecutionum procellis, beatam Virginem invocandi titulo « Auxilii christianorum ».

Cum autem Pius VII († 1823), armorum vi a Sede Petri exturbatus, sub arcta custodia detineretur et pro eo universa Ecclesia per beatam Virginem enixas Deo effunderet preces, inopinato contigit ut Summus Pontifex liberaretur atque Romam redux, die 24 maii 1814 pontificio solio restitueretur.

Quare Pius VII in Virginis Matris honorem sub appellatione « Auxilii christianorum » festum indixit perpetuo Romæ celebrandum die 24 maii, fausti sui in Urbem reditus anniversario. Quod festum in multis Ecclesiis particularibus et Institutis religiosis, præsertim in Societate sancti Francisci Salesii, a sancto Ioanne Bosco († 1888) fundata, peragitur.

Prima lectio huius missæ magnum certamen recolit quod, ex Dei consilio, ab humani generis primordiis inter Mulierem et Serpentem est constitutum. Proponitur enim:

— vel Genesis 3, 1-6. 13-15, ubi resonant minacia Dei verba ad Serpentem et primum nuntium futuræ victoriæ Filii Mulieris: « Inimicitias ponam inter te et mulierem / semen tuum et semen illius; / ipsum conteret caput tuum, / et tu conteres calcaneum eius » (v. 15);

— vel Apocalypsis 12, 1-3a. 7-12ab. 17, ubi prophetice narratur prœlium magni draconis seu antiqui serpentis (cf. vv. 3. 9) contra Mulierem amictam sole, duodecim stellis coronatam (cf. v. 1), et reliquos « de semine eius, qui custodiunt mandata Dei et habent testimonium Iesu » (v. 17), id est contra Ecclesiam sub Virginis Mariæ specie repræsentatam.

Lectio autem Evangelii (Io 2, 1-11) auxilium commemorat quod beata Virgo indesinenter fert Ecclesiæ — a discipulis in Iesum credentibus (cf. v. 11) et nuptiali convivio participantibus (cf. v. 2) significatæ — tum fidem christianorum alendo tum eorum necessitatibus subveniendo.

Textus euchologici Deum celebrant, qui beatam Virginem « Genetricem dilecti Filii » (*Co*) sui « matrem et auxilium populi christiani » (*Co, Pf*) constituit, « ut, ipsa protegente, / fidei certamen certet intrepidus, / in Apostolorum doctrina firmus consistat / et inter mundi procellas incedat securus » (*Pf;* cf. *Co, So*).

Textus huius missæ, præfatione excepta, desumpti sunt, nonnullis immutatis, e *Propriis missarum* Societatis sancti Francisci Salesii (Typis Polyglottis Vaticanis 1974, pp. 35-40) et Congregationis Clericorum Regularium sancti Pauli (Curia Generalis, Romæ 1981, pp. 25-29).

ANT. AD INTROITUM Cf. Iudt 13, 19

Non recédet laus tua de ore hóminum,
qui mémores fúerint virtútis Dómini in ætérnum.

COLLECTA

Deus, qui Genetrícem dilécti Fílii tui
matrem et auxílium pópuli christiáni constituísti,
præsta, quǽsumus,
ut nos in eius protectióne vivámus
et Ecclésia tua perpétua pace lætétur.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Laudis tibi, Dómine, hóstias offérimus,
de Genetrícis Fílii tui memória lætántes;
et concéde, ut tantæ Matris auxílio,
te in ómnibus adversitátibus subveniéntem sentiámus.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo mater et auxiliatrix populi christiani

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere,
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus,
per Christum Dóminum nostrum.

Quia immaculátam Vírginem Maríam,
Fílii tui Genetrícem,
matrem et auxílium pópuli christiáni constituísti,
ut, ipsa protegénte,
fídei certámen certet intrépidus,
in Apostolórum doctrína firmus consístat
et inter mundi procéllas incédat secúrus,
donec ad cæléstem civitátem lætus pervéniat.

Propter quod nunc et usque in sǽculum,
cum omni milítia Angelórum,
devóta tibi mente concínimus,
clamántes atque dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Deut 10, 21a

Dóminus est laus tua et Deus tuus,
qui fecit tibi magnália.

POST COMMUNIONEM

Sumptis, Dómine, cæléstibus sacraméntis
et beátæ Vírginis Maríæ suffúlti auxílio,
te súpplices exorámus,
ut, degénerem exuéntes vetustátem,
Iesum Christum induámus, novæ generatiónis auctórem.
Qui vivit.

[13] (Coll. Miss.)

43

BEATA MARIA VIRGO DE MERCEDE

In familiis religiosis peculiari vinculo Christi Matri dicatis, adnumeratur *Ordo beatæ Mariæ Virginis de Mercede,* quem sanctus Petrus Nolascus († 1256) ad redimendos christianos captivitate detentos, anno 1218 Barcinonæ fundavit, inito consilio cum sancto Raymundo de Peñafort († 1275), et Iacobo I († 1276), Aragoniæ rege.

Beata Virgo sub titulo « de Mercede » maxime veneratur in Aragoniæ et Catalauniæ finibus atque in compluribus Americæ latinæ regionibus.

Formularium, finem respiciens ad quem Ordo mercedarius est institutus, Christum in primis celebrat « hominum redemptorem » (*Co*), qui nobis « veram filiorum libertatem, / [...] sacrificio suo promeruit » (*Co*).

Deinde beatam Virginem commemorat, quæ cum sit ancilla Domini (cf. Lc 1, 38) atque Filii redemptoris operi totaliter dicata (cf. LG 56), « redemptionis ministra » (*Pf*) merito appellatur.

In missa beata Virgo celebratur tamquam:

— *nova Iudith,* nam sicut antiqua Iudith forti animo populum liberavit ab Holofernis obsidione, ita Maria contra antiquum serpente dimicans bene fecit populo Israel et universæ Ecclesiæ (cf. *1 Lect* 15, 8-10. 14; 16, 13-14);

— *prophetissa redemptionis Israel:* vox enim facta populi sui, Dominum magnificavit qui, recordatus misericordiæ suæ, Israel suscepisset a peccati redimens servitute (cf. *Ant intr,* Lc 1, 46a. 54-55a);

— *socia Christi passionis,* nam beata Virgo, quæ ab « humilitate cunarum » mater amantissima Filio adfuit, iuxta crucem eius stetit « fidelis socia passionis » (*Pf*); merito igitur pro lectione evangelica sumitur textus Ioannis de præsentia Virginis apud crucem Domini (*Ev,* Io 19, 25-27);

— *piissima mater,* quam Deus misericorditer nobis dedit (cf. *Pc*), quæque « de fratribus Filii sui in necessitate versantibus / semper curat caritate materna, / ut, omnis captivitatis fractis compedibus, / plena corporis et animi libertate fruantur » (*Pf*);

— *advocata nostra* (*Pf*) et *cælestis patrona* (*Pc*): etenim « ad supernam [...] civitatem evecta », (*Pf*), Maria pro nobis iugiter intercedit.

Textus huius missæ desumpti sunt e *Proprio missarum Ordinis beatæ Mariæ Virginis de Mercede,* Curia Generalis Ordinis, Romæ 1976, pp. 26-28. 50.

ANT. AD INTROITUM Lc 1, 46a. 54-55a

Magníficat ánima mea Dóminum:
quia suscépit Israel, púerum suum,
recordátus misericórdiæ suæ,
sicut locútus est ad patres nostros.

COLLECTA

Deus, Pater misericordiárum, qui Fílium tuum
hóminum redemptórem in mundum misísti,
concéde nobis,
eius Matrem título de Mercéde devóte coléntibus,
ut veram filiórum libertátem,
quam Christus Dóminus sacrifício suo proméruit,
fidéliter custodiámus
et apud omnes gentes promovére valeámus.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Súscipe, Dómine, hæc nostræ devotiónis múnera,
et præsta,
ut, qui Fílii tui imménsæ caritátis opus recólimus,
in tui et próximi dilectióne
beátæ Maríæ Vírginis confirmémur exémplo.
Per Christum.

PRÆFATIO

Sancta Maria, mater Redemptoris et redemptionis ministra

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui mirábili providentíque consílio,
beátam Vírginem in ópere salútis humánæ
Fílio tuo tam arcta societáte iunxísti,
ut in humilitáte cunárum ei amantíssima mater adésset
et iuxta crucem staret fidélis sócia passiónis;
ad supérnam autem civitátem evécta
advocáta nostra fíeret ac redemptiónis minístra.

Unde de frátribus Fílii sui in necessitáte versántibus
semper curat caritáte matérna,
ut, omnis captivitátis fractis compédibus,
plena córporis et ánimi libertáte fruántur.

Quaprópter cum Angelis et univérsis Sanctis
opus redemptiónis et amóris Fílii tui collaudántes,
per ipsum te, Dómine, magnificámus una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Io 2, 5

Dicit Mater Iesu minístris:
« Quodcúmque díxerit vobis, fácite ».

POST COMMUNIONEM

Sumptis, Dómine, sacraméntis redemptiónis et vitæ,
súpplices deprecámur,
ut, intercedénte beáta María Vírgine de Mercéde,
quam misericórditer nobis piíssimam matrem
et cæléstem dedísti patrónam,
humánæ salútis mystério deserviámus impénsius
atque in regna cælórum mereámur admítti.
Per Christum.

44

BEATA MARIA VIRGO, SALUS INFIRMORUM

« Salus Dei » hominem totum afficit, eius corpus, eius animam eiusque spiritum, et cum in terris peregrinatur et, præsertim, cum cælorum fit incola. Per salutem a Christo in Spiritu Sancto partam, hominis condicio omnino mutatur: oppressio in libertatem convertitur, ignorantia in veri cognitionem, infirmitas in sanitatem, afflictio in gaudium, mors in vitam, servitus peccati in divinæ naturæ consortium. Tamen absolutam et perfectam salutem homo in hoc mundo nequit consequi: eius vita enim dolori, infirmitati, morti est obiecta. « Salus Dei » vero est ipse Iesus Christus, quem Pater misit in mundum hominis Salvatorem et corporum animarumque medicum, ut liturgia, sancti Ignatii Antiocheni quodammodo referens verba (cf. *Ad Ephesios* VII, 2: SCh 10, p. 74), eum vocat. Qui, diebus carnis suæ, misericordia motus, multos ægrotos sanavit, a vulnere quoque peccati sæpe liberans (cf. Mt 9, 2-8; Io 5, 1-14).

Sed et beata Virgo, quippe quæ mater sit Christi, Salvatoris hominis, et mater fidelium, filiis suis in ærumnis positis amantissime subvenit. Quare infirmi frequentes ad eam accurrunt — sæpe sanctuaria ei dicata adeuntes — ut, per eius intercessionem, sanitatem recipiant. Cuius ægrotorum in Christi Matrem fiduciæ, apud sanctuaria marialia multa sunt testimonia.

In titulis quibus a fidelibus morbo laborantibus beata Virgo veneratur, titulus eminet « Salutis infirmorum », opera præsertim religiosorum Congregationis Regularium Ministrantium Infirmis evulgatus, quorum in ecclesia sanctæ Mariæ Magdalenæ in Urbe dicata colitur imago veneratione fidelium et miraculis insignis.

In « liturgia verbi » legitur carmen Isaiæ de « Servo Domini » (*1 Lect*, Is 53, 1-5. 7-10), qui « languores nostros ipse tulit / et dolores nostros ipse portavit » (v. 4), cuius « livore [...] sanati sumus » (v. 5). Fidelium cœtus respondet Dominum benedicens, « qui sanat omnes infirmitates » (*Ps resp*, 102 [103], 1a. 3b).

In lectione autem evangelica, pericope lucana de visitatione Mariæ ad Elisabeth cognatam proclamatur (*Ev*, Lc 1, 39-56), ut fideles beatam Virginem intuentes, quæ fidei plena, misericordiam Dei laudans, ad Præcursoris Matrem visendam festinat, eius sollicitudinem imitari impellantur in fratrum sororumque ægrotantium cura.

In « liturgia eucharistica » Deus Pater glorificatur, qui beatam Virginem fidelibus morbo laborantibus patronam dedit et exemplar:

— *patronam*, quia « infirmis eius patrocinium invocantibus / signum fulget salutis et supernæ spei » (*Pf*);

— *exemplar,* quia sancta Maria eam « contemplantibus exemplar præbet animi / [Dei] voluntati perfecte consentientis / et Christo plene se conformantis » *(Pf)*.

Missarum sollemnia in honorem beatæ Virginis « Salutis infirmorum » conficere eiusque intercessionem expetere ad corporis sanitatem recipiendam, idem est ac peculiare momentum historiæ salutis celebrare, cuius absolutio et perfectio erit cum, in glorioso Christi adventu, « novissima inimica destruetur mors » (1 Cor 15, 26) et corpora iustorum incorrupta resurgent.

Textus huius formularii, præter præfationem, iidem sunt ac missæ de beata Virgine sub titulo « Salutis infirmorum », quæ in *Proprio missarum Ordinis Ministrantium infirmis,* Typis Polyglottis Vaticanis 1974, pp. 14-15. 27-30, invenitur.

ANT. AD INTROITUM — Cf. Ps 34 (35), 3; Ion 2, 3

Salus pópuli ego sum:
de quacúmque tribulatióne clamáverint ad me,
exáudiam eos.

COLLECTA

Concéde nos fámulos tuos, quǽsumus, Dómine Deus,
perpétua mentis et córporis sanitáte gaudére,
et, gloriósa beátæ Maríæ semper Vírginis intercessióne,
a præsénti liberári tristítia,
et ætérna pérfrui lætítia.
Per Dóminum.

SUPER OBLATA

Preces, Dómine, tuórum réspice oblationésque fidélium,
in beátæ Maríæ Dei Genetrícis commemoratióne delátas,
ut tibi gratæ sint,
et nobis cónferant tuæ propitiatiónis auxílium.
Per Christum.

PRÆFATIO

Beata Virgo signum salutis infirmis præfulget

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte:

Quia beáta Virgo María,
dolóris mystérii mirum in modum párticeps effécta,
infírmis eius patrocínium invocántibus
signum fulget salútis et supérnæ spei;
eam autem contemplántibus exémplar præbet ánimi
tuæ voluntáti perfécte consentiéntis
et Christo plene se conformántis,
qui, propter suam erga nos caritátem,
languóres nostros pértulit
et dolóres nostros portávit.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM Ps 117 (118), 14

Fortitúdo mea et laus mea, Dóminus,
et factus est mihi in salútem.

POST COMMUNIONEM

Salutáre sacraméntum
córporis et sánguinis Unigéniti tui, Deus,
quod in honórem beátæ Maríæ Vírginis, Matris eius,
læti suscépimus,
temporális vitæ páriter et ætérnæ múnera largiátur.
Per Christum.

45

BEATA MARIA VIRGO, REGINA PACIS

Propter nexum quo cum Filio, « pacis Principe » (cf. *Ant intr*, Is 9, 6; *1 Lect*, Is 9, 1-6), intime arcteque coniungitur, beata Virgo crebrius in dies ut « Regina pacis » venerata est: in nonnullis enim Calendariis Ecclesiarum particularium et Institutorum religiosorum memoria invenitur beatæ Virginis, « Reginæ pacis ». Memoratu autem dignum videtur quod Benedictus XV, anno 1917, immani flagrante bello, invocationem « Reginæ pacis » in Litanias Lauretanas inseri iussit.

In hac missa Virginis cooperatio reconciliationi seu « paci » inter Deum et homines a Christo confectæ commemoratur:

— in *incarnationis mysterio:* nam humilis ancilla Domini « nuntium de Gabrielis ore suscipiens, / virginali gremio Principem pacis concepit » (*Pf*; cf. *Ev*, Lc 1, 26-38), qui « pacem nobis reddidit, / in se reconcilians ima summis » (*Ant com*);

— in *passionis mysterio:* nam « mater fidelis, / [...] iuxta crucem stetit intrepida, / ubi Filius, nostræ consulens saluti, / sanguine suo universa pacificavit » (*Pf*);

— in *Pentecostes mysterio:* nam beata Virgo, « pacis alumna, / [...] cum Apostolis orans / [...] Spiritum unitatis et pacis, caritatis et gaudii » (*Pf*) præstolatur.

Memoriam agens beatæ Virginis, Reginæ pacis, fidelium cœtus Deum exorat ut, illa intercedente, Ecclesiæ et humanæ familiæ concedat:

— *spiritum caritatis:* « fraterna semper uniamur caritate » (*Co*); « Largire nobis, quæsumus, Domine, spiritum caritatis » (*Pc*);

— *dona unitatis et pacis:* « unitatis et pacis familiæ tuæ / propitiatus dona concedas » (*So*); « unam in pace constituamus familiam » (*Co*); « pacem inter nos, quam [Christus] reliquit, / efficaciter nutriamus » (*Pc*);

— *temporum tranquillitatem:* « optatam tranquillitatem nostris concede temporibus » (*Co*).

Textus euchologici huius missæ, præter præfationem, desumpti sunt e fasciculo *Proprio delle messe per le diocesi di Savona e Noli*, Tipografia Priamar, Savona 1978, p. 17.

ANT. AD INTROITUM — Cf. Is 9, 6

Puer natus est nobis et fílius datus est nobis,
et vocábitur nomen eius « Princeps pacis ».

Collecta

Deus, qui per Unigénitum tuum
pacem homínibus largíri voluísti,
intercedénte beáta María semper Vírgine,
optátam tranquillitátem nostris concéde tempóribus,
ut unam in pace constituámus famíliam
et fratérna semper uniámur caritáte.
Per Dóminum.

Super oblata

Sacrifícium tibi, Dómine, placatiónis offérimus,
beátam Maríam semper Vírginem,
Regínam pacis, devóte venerántes,
et pétimus ut unitátis et pacis famíliæ tuæ
propitiátus dona concédas.
Per Christum.

Præfatio

Mater Christi, pacis alumna atque regina

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac celebratióne beátæ Vírginis Maríæ
te débitis magnificáre præcóniis.

Hæc est húmilis ancílla tua,
quæ núntium de Gabriélis ore suscípiens,
virgináli grémio Príncipem pacis concépit,
Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum.

Hæc est mater fidélis,
quæ iuxta crucem stetit intrépida,
ubi Fílius, nostræ cónsulens salúti,
sánguine suo univérsa pacificávit.

Hæc est discípula Christi, pacis alúmna,
quæ cum Apóstolis orans
Promíssum præstolátur Patris,
Spíritum unitátis et pacis, caritátis et gáudii.

Et ídeo, cum Sanctis et Angelis univérsis,
te collaudámus, sine fine dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

ANT. AD COMMUNIONEM

Virgo Deum et hóminem génuit.
Deus pacem nobis réddidit,
in se reconcílians ima summis.

POST COMMUNIONEM

Largíre nobis, quǽsumus, Dómine, spíritum caritátis,
ut, córpore et sánguine Unigéniti tui,
in hac beátæ Maríæ, Regínæ pacis, memória, refécti,
pacem inter nos, quam ipse relíquit,
efficáciter nutriámus.
Per Christum.

46

BEATA MARIA VIRGO, IANUA CÆLI

Huius *Collectionis missarum de beata Maria Virgine* novissimum formularium Matrem Christi celebrat, quæ populum Dei iter ad patriam cælorum facientem comitatur benigna.

Huic missæ sensus eschatologicus, qui celebrationis eucharisticæ est proprius, maxime inest: cœtus fidelium enim eam celebrans, « civitatem sanctam Ierusalem novam [...] paratam sicut sponsam viro suo » contemplatur et vocem audit Domini de cælesti throno dicentis: « Ecce nova facio omnia » (cf. *1 Lect*, Ap 21, 1-5a). Quæ futura Ecclesiæ condicio in sancta Maria, virgine sponsa, formosa, sine macula aut ruga (cf. Eph 5, 27), iam impleta est. Fideles ergo « in domum Domini » læti ascendunt ubi nomen eius in æternum confitebuntur (cf. *Ps resp*, Ps 121 [122], 1-2. 3-4. 8-9). Impigre autem vigilare iubentur venienti Sponso cum accensis lampadibus occurrere ut, reserata ianua, ad nuptias admitti mereantur (cf. *Ev*, Mt 25, 1-13).

In missa celebratur in primis Christus Dominus, quem « ostium salutis et vitæ » (*Co;* cf. Io 10, 7) Pater benignus constituit: Iesus enim est « veniæ patens ostium » (*Pf*), per quem « cælestis civitatis nobis [...] limina » (*Co*) patent.

Metaphora autem « portæ » vel « ostii » vel « ianuæ » vel « liminis » iam inde ab ætate, quam Sanctorum Ecclesiæ Patrum dicunt, beata Virgo indicatur ad eius illustranda sive novæ Evæ munus, sive virginalem maternitatem, sive supplicem pro fidelibus intercessionem.

In formulario ergo beata Virgo celebratur tamquam:

— *innocens Eva,* quæ superbiam humilitate, fide incredulitatem vicit primæ Mulieris, ea adaperiens quæ illa clauserat: « Virgo humilis, / quæ nobis æternæ vitæ aperuit ianuam: / quod Eva incredula clauserat, / illa reseravit fidelis » (*Pf*); « Paradisi portæ, / quas Eva clausit, / per te apertæ sunt, / Virgo Maria » (*All*);

— *mater virginalis Christi:* propter suam maternitatem Maria est « præclara vitæ ianua » ex qua « salus mundi orta est, / Iesus Christus Dominus noster » (*So*); « porta lucis fulgida », per quam « Christus, lux mundi, nobis effulsit » (*Ant com*); « Virgo Verbo gravida », quæ « paradisi ianua » nobis est effecta, dum enim « Deum mundo » reddit, « cælum nobis » aperit (*Ant intr*);

— *supplex intercessionis vox* (cf. *Pf*): Ecclesia enim non dubitat quin « per beatam Virginem Mariam, / ex qua mundo Salvator advenit, ad nos descendant cælestis gratiæ munera / et nobis pateat felix cæli porta » (*Pc*).

ANT. AD INTROITUM

Ave, Virgo Verbo grávida, paradísi iánua:
dum Deum mundo reddis cælum nobis áperis.

COLLECTA

Deus, qui Fílium tuum
óstium salútis et vitæ constituísti benígnus,
præsta, quǽsumus,
ut, præveniénte beáta Vírgine María,
in Christi dilectióne maneámus fidéles
et cæléstis civitátis nobis páteant límina.
Qui tecum vivit.

SUPER OBLATA

Maiestáti tuæ, Dómine,
unitátis et pacis offérimus sacraméntum,
gloriósæ Vírginis Maríæ memóriam recoléntes,
ex qua, præclára vitæ iánua, salus mundi orta est,
Iesus Christus Dóminus noster.
Qui vivit.

PRÆFATIO

Quam Eva clausit ianuam beata Virgo reseravit

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.
℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.
℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere,
et in hac celebratióne beátæ Vírginis Maríæ
te débitis magnificáre præcóniis.

Hæc est Virgo Mater,
figúram adímplens orientális portæ templi:
per eam Dóminus tránsiit,
ipsi soli pátuit et clausa mansit.

Hæc est Virgo húmilis,
quæ ætérnæ vitæ iánuam,
quam Eva incrédula cláuserat,
nobis reserávit fidélis.

Hæc est Virgo supplex,
pro peccatóribus iúgiter exórans,
ut ad Fílium suum convertántur,
perénnis grátiæ fontem et véniæ patens óstium.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.

Ant. ad communionem

Beáta es, Virgo María, porta lucis fúlgida,
per te Christus, lux mundi, nobis effúlsit.

Post communionem

Refécti, Dómine, sacraméntis et gáudiis,
súpplices deprecámur,
ut, per beátam Vírginem Maríam,
ex qua mundo Salvátor advénit,
ad nos descéndant cæléstis grátiæ múnera
et nobis páteat felix cæli porta.
Per Christum.

ORDO MISSÆ
CUM POPULO

ORDO MISSÆ CUM POPULO

RITUS INITIALES

1. Populo congregato, sacerdos cum ministris ad altare accedit, dum cantus ad introitum peragitur.

2. Cum ad altare pervenerit, facta cum ministris debita reverentia, osculo altare veneratur et, pro opportunitate, illud incensat. Postea cum ministris sedem petit.

3. Cantu ad introitum absoluto, sacerdos et fideles, stantes, signant se, dum sacerdos, ad populum conversus, dicit:

In nómine Patris, et Fílii, et Spíritus Sancti.

Populus respondet:

Amen.

Deinde sacerdos, manus extendens, populum salutat, dicens:

Grátia Dómini nostri Iesu Christi,
et cáritas Dei,
et communicátio Sancti Spíritus
sit cum ómnibus vobis.

Vel:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Episcopus, loco Dóminus vobíscum, in hac prima salutatione dicit: Pax vobis.

Vel:

℣. Grátia vobis et pax a Deo Patre nostro
et Dómino Iesu Christo.

℟. Benedíctus Deus et Pater Dómini nostri Iesu Christi.

4. Sacerdos, vel diaconus vel alius minister idoneus, potest brevissimis verbis introducere fideles in Missam illius diei.

Deinde sequitur actus pænitentialis. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii. Postea omnes simul faciunt confessionem:

Confíteor Deo omnipoténti et vobis, fratres,
quia peccávi nimis
cogitatióne, verbo, ópere et omissióne:

et, percutientes sibi pectus, dicunt:

mea culpa, mea culpa, mea máxima culpa.

Deinde prosequuntur:

Ideo precor beátam Maríam semper Vírginem,
omnes Angelos et Sanctos,
et vos, fratres, oráre pro me
ad Dóminum Deum nostrum.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

Aliæ formulæ actus pænitentialis

5. Loco formulæ actus pænitentialis quæ supra, n. 4, indicatur, adhiberi potest una ex sequentibus:

A. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii.

Postea sacerdos dicit:

Miserére nostri, Dómine.

Populus respondet:

Quia peccávimus tibi.

Sacerdos:

Osténde nobis, Dómine, misericórdiam tuam.

Populus:

Et salutáre tuum da nobis.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

B. Sacerdos fideles invitat ad pænitentiam:

Fratres, agnoscámus peccáta nostra,
ut apti simus ad sacra mystéria celebránda.

Fit brevis pausa silentii.

Deinde sacerdos, vel alius minister idoneus, sequentes, vel alias, invocationes cum Kýrie eléison profert:

Qui missus es sanáre contrítos corde: Kýrie, eléison.

Populus respondet:

Kýrie, eléison.

Sacerdos:

Qui peccatóres vocáre venísti: Christe, eléison.

Populus:

Christe, eléison.

Sacerdos:

Qui ad déxteram Patris sedes,
ad interpellándum pro nobis: Kýrie, eléison.

Populus:

Kýrie, eléison.

Sequitur absolutio sacerdotis:

Misereátur nostri omnípotens Deus
et, dimíssis peccátis nostris,
perdúcat nos ad vitam ætérnam.

Populus respondet:

Amen.

---

6. Sequuntur invocationes Kýrie, eléison, nisi iam præcesserint in aliqua formula actus pænitentialis.

℣. Kýrie, eléison. ℟. Kýrie, eléison.
℣. Christe, eléison. ℟. Christe, eléison.
℣. Kýrie, eléison. ℟. Kýrie, eléison.

7. Deinde, quando præscribitur, cantatur vel dicitur hymnus:

Glória in excélsis Deo
et in terra pax homínibus bonæ voluntátis.
Laudámus te,
benedícimus te,
adorámus te,
glorificámus te,
grátias ágimus tibi propter magnam glóriam tuam,
Dómine Deus, Rex cæléstis,
Deus Pater omnípotens.
Dómine Fili unigénite, Iesu Christe,
Dómine Deus, Agnus Dei, Fílius Patris,
qui tollis peccáta mundi, miserére nobis;
qui tollis peccáta mundi, súscipe deprecatiónem nostram.
Qui sedes ad déxteram Patris, miserére nobis.

Quóniam tu solus Sanctus,
tu solus Dóminus,
tu solus Altíssimus,
Iesu Christe, cum Sancto Spíritu: in glória Dei Patris.
Amen.

8. Quo hymno finito, sacerdos, manibus iunctis, dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant.

Tunc sacerdos, manibus extensis, dicit orationem; qua finita, populus acclamat:

Amen.

Liturgia verbi

9. Deinde lector ad ambonem pergit, et legit primam lectionem, quam omnes sedentes auscultant.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.

10. Psalmista, seu cantor, psalmum dicit, populo responsum proferente.

11. Postea, si habenda sit secunda lectio, lector eam in ambone legit, ut supra.

Ad finem lectionis significandam, lector subdit:

Verbum Dómini.

Omnes acclamant:

Deo grátias.

12. Sequitur Allelúia, vel alter cantus.

13. Interim sacerdos, incensum, si adhibetur, imponit. Postea diaconus, Evangelium prolaturus, ante sacerdotem inclinatus, benedictionem petit, submissa voce dicens:

Iube, domne, benedícere.

Sacerdos submissa voce dicit:

Dóminus sit in corde tuo et in lábiis tuis:
ut digne et competénter annúnties Evangélium suum:
in nómine Patris, et Fílii, ✠ et Spíritus Sancti.

Diaconus respondet:

Amen.

Si vero non adest diaconus, sacerdos ante altare inclinatus secreto dicit:

Munda cor meum ac lábia mea, omnípotens Deus,
ut sanctum Evangélium tuum digne váleam nuntiáre.

14. Postea diaconus, vel sacerdos, ad ambonem pergit, ministris pro opportunitate cum incenso et cereis eum comitantibus, et dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Diaconus, vel sacerdos:

Léctio sancti Evangélii secúndum N.,

et interim signat librum et seipsum in fronte, ore et pectore.

Populus acclamat:

Glória tibi, Dómine.

Deinde diaconus, vel sacerdos, librum, si incensum adhibetur, thurificat, et Evangelium proclamat.

15. Finito Evangelio, diaconus, vel sacerdos dicit:

Verbum Dómini,

omnibus acclamantibus:

Laus tibi, Christe.

Deinde librum osculatur dicens secreto:

Per evangélica dicta deleántur nostra delícta.

16. Deinde fit homilia, quæ habenda est omnibus diebus dominicis et festis de præcepto; aliis diebus commendatur.

17. Homilia expleta, fit, quando præscribitur, professio fidei:

Credo in unum Deum,
Patrem omnipoténtem, factórem cæli et terræ,
visibílium ómnium et invisibílium.

Et in unum Dóminum Iesum Christum,
Fílium Dei unigénitum,
et ex Patre natum ante ómnia sǽcula.
Deum de Deo, lumen de lúmine, Deum verum de Deo vero,
génitum, non factum, consubstantiálem Patri:
per quem ómnia facta sunt.
Qui propter nos hómines et propter nostram salútem
descéndit de cælis.

Ad verba quæ sequuntur, usque ad factus est, omnes se inclinant.

Et incarnátus est de Spíritu Sancto
ex María Vírgine, et homo factus est.
Crucifíxus étiam pro nobis sub Póntio Piláto;
passus et sepúltus est,
et resurréxit tértia die, secúndum Scriptúras,
et ascéndit in cælum, sedet ad déxteram Patris.
Et íterum ventúrus est cum glória,
iudicáre vivos et mórtuos,
cuius regni non erit finis.

Et in Spíritum Sanctum, Dóminum et vivificántem:
qui ex Patre Filióque procédit.
Qui cum Patre et Fílio simul adorátur et conglorificátur:
qui locútus est per prophétas.

Et unam, sanctam, cathólicam et apostólicam Ecclésiam.
Confíteor unum baptísma in remissiónem peccatórum.
Et exspécto resurrectiónem mortuórum,
et vitam ventúri sǽculi. Amen.

18. Deinde fit oratio universalis, seu oratio fidelium.

LITURGIA EUCHARISTICA

19. His absolutis, incipit cantus ad offertorium. Interim ministri corporale, purificatorium, calicem et missale in altari collocant.

20. Expedit ut fideles participationem suam oblatione manifestent, afferendo sive panem et vinum ad Eucharistiæ celebrationem, sive alia dona, quibus necessitatibus Ecclesiæ et pauperum subveniatur.

21. Sacerdos, stans ad altare, accipit patenam cum pane, eamque aliquantulum elevatam super altare tenet, secreto dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus panem,
quem tibi offérimus,
fructum terræ et óperis mánuum hóminum:
ex quo nobis fiet panis vitæ.

Deinde deponit patenam cum pane super corporale.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

Benedíctus Deus in sǽcula.

22. Diaconus, vel sacerdos, infundit vinum et parum aquæ in calicem, dicens secreto:

Per huius aquæ et vini mystérium
eius efficiámur divinitátis consórtes,
qui humanitátis nostræ fíeri dignátus est párticeps.

23. Postea sacerdos accipit calicem, eumque aliquantulum elevatum super altare tenet, secreto dicens:

Benedíctus es, Dómine, Deus univérsi,
quia de tua largitáte accépimus vinum,

quod tibi offérimus,
fructum vitis et óperis mánuum hóminum,
ex quo nobis fiet potus spiritális.

Deinde calicem super corporale deponit.

Si vero cantus ad offertorium non peragitur, sacerdoti licet hæc verba elata voce proferre; in fine populus acclamare potest:

Benedíctus Deus in sǽcula.

24. Postea sacerdos, inclinatus, dicit secreto:

In spíritu humilitátis et in ánimo contríto
suscipiámur a te, Dómine;
et sic fiat sacrifícium nostrum in conspéctu tuo hódie,
ut pláceat tibi, Dómine Deus.

25. Et, pro opportunitate, incensat oblata et altare. Postea vero diaconus vel minister incensat sacerdotem et populum.

26. Deinde sacerdos, stans ad latus altaris, lavat manus, dicens secreto:

Lava me, Dómine, ab iniquitáte mea,
et a peccáto meo munda me.

27. Stans postea in medio altaris, versus ad populum, extendens et iungens manus, dicit:

Oráte, fratres:
ut meum ac vestrum sacrifícium
acceptábile fiat apud Deum Patrem omnipoténtem.

Populus respondet:

Suscípiat Dóminus sacrifícium de mánibus tuis
ad laudem et glóriam nóminis sui,
ad utilitátem quoque nostram
totiúsque Ecclésiæ suæ sanctæ.

28. Deinde, manibus extensis, sacerdos dicit orationem super oblata; qua finita, populus acclamat:

Amen.

PREX EUCHARISTICA

29. Tunc sacerdos incipit Precem eucharisticam.

Manus extendens, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos, manus elevans, prosequitur:

Sursum corda.

Populus:

Habémus ad Dóminum.

Sacerdos, manibus extensis, subdit:

Grátias agámus Dómino Deo nostro.

Populus:

Dignum et iustum est.

Sacerdos prosequitur præfationem manibus extensis.

In fine autem præfationis iungit manus et, una cum populo, ipsam præfationem concludit, cantans vel clara voce dicens:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

30. In omnibus Missis licet sacerdoti celebranti illas partes Precis eucharisticæ cantare, quæ in Missis concelebratis cantari possunt.

In Prece eucharistica prima, seu Canone Romano, ea quæ inter parentheses includuntur omitti possunt.

PRÆFATIO I DE BEATA MARIA VIRGINE

DE MATERNITATE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

31. Sequens præfatio dici potest loco eius quæ in unoquoque formulario invenitur, quotiescumque missa maternitatem beatæ Mariæ Virginis peculiari modo celebrat.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Et te in memória beátæ Maríæ semper Vírginis
collaudáre, benedícere et prædicáre.
Quæ et Unigénitum tuum
Sancti Spíritus obumbratióne concépit,
et, virginitátis glória permanénte,
lumen ætérnum mundo effúdit,
Iesum Christum Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam laudant Angeli,
adórant Dominatiónes, tremunt Potestátes.
Cæli cælorúmque Virtútes, ac beáta Séraphim,
sócia exsultatióne concélebrant.
Cum quibus et nostras voces
ut admítti iúbeas, deprecámur,
súpplici confessióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO II DE BEATA MARIA VIRGINE

ECCLESIA, VERBIS MARIÆ, LAUDES DEO PERSOLVIT

32. Sequens præfatio dici potest loco eius quæ in unoquoque formulario invenitur in missis de beata Maria Virgine temporis Adventus et quotiescumque missa celebrat magnalia quæ Deus in sancta Maria est operatus.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
in ómnium Sanctórum provéctu te mirábilem confitéri,
et potíssimum, beátæ Vírginis Maríæ
memóriam recoléntes,
cleméntiam tuam ipsíus grato magnificáre præcónio.

Vere namque in omnes terræ fines magna fecísti,
ac tuam in sǽcula prorogásti misericórdiæ largitátem,
cum, ancíllæ tuæ humilitátem aspíciens,
per eam dedísti humánæ salútis auctórem,
Fílium tuum, Iesum Christum, Dóminum nostrum.

Per quem maiestátem tuam adórat exércitus Angelórum,
ante conspéctum tuum in æternitáte lætántium.
Cum quibus et nostras voces
ut admítti iúbeas, deprecámur,
sócia exsultatióne dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE IMMACULATA CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

33. Sequens præfatio dici potest loco eius quæ in unoquoque formulario invenitur, quotiescumque missa beatam Mariam Virginem celebrat tamquam sanctitatis exemplar vel advocatam gratiæ aut in ea recolit novi Populi Dei exordium.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:

Qui beatíssimam Vírginem Maríam
ab omni originális culpæ labe præservásti,
ut in ea, grátiæ tuæ plenitúdine ditáta,
dignam Fílio tuo Genetrícem præparáres,
et Sponsæ eius Ecclésiæ
sine ruga vel mácula formósæ signáres exórdium.
Fílium enim erat puríssima Virgo datúra,
qui crímina nostra Agnus ínnocens aboléret;
et ipsam præ ómnibus tuo pópulo disponébas
advocátam grátiæ et sanctitátis exémplar.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRÆFATIO DE ASSUMPTIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

34. Sequens præfatio dici potest loco eius quæ in unoquoque formulario invenitur, quotiescumque missa beatam Virginem ad cælestem gloriam evectam celebrat vel in ea signum certæ spei, populo Dei peregrinanti præfulgens, contemplatur vel eius necessitudinem cum Ecclesia recolit.

℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.


Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi semper et ubíque grátias ágere:
Dómine, sancte Pater, omnípotens ætérne Deus:
per Christum Dóminum nostrum.

Quóniam in cælos hódie Virgo Deípara est assúmpta,
Ecclésiæ tuæ consummándæ inítium et imágo,
ac pópulo peregrinánti certæ spei et solácii documéntum;
corruptiónem enim sepúlcri eam vidére mérito noluísti,
quæ Fílium tuum, vitæ omnis auctórem,
ineffabíliter de se génuit incarnátum.

Et ídeo, choris angélicis sociáti,
te laudámus, in gáudio confiténtes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

PRECES EUCHARISTICÆ



Te igitur

PREX EUCHARISTICA I

SEU CANON ROMANUS

35. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Te ígitur, clementíssime Pater,
per Iesum Christum, Fílium tuum, Dóminum nostrum,
súpplices rogámus ac pétimus,

iungit manus et dicit:

uti accépta hábeas

signat semel super panem et calicem simul, dicens:

et benedícas ✠ hæc dona, hæc múnera,
hæc sancta sacrifícia illibáta,

extensis manibus prosequitur:

in primis, quæ tibi offérimus
pro Ecclésia tua sancta cathólica:
quam pacificáre, custodíre, adunáre
et régere dignéris toto orbe terrárum:
una cum fámulo tuo Papa nostro N.
et Antístite nostro N. *
et ómnibus orthodóxis atque cathólicæ
et apostólicæ fídei cultóribus.

36. Commemoratio pro vivis.

Meménto, Dómine, famulórum famularúmque tuárum N. et N.

Iungit manus et orat aliquantulum pro quibus orare intendit.

Deinde, manibus extensis, prosequitur:

et ómnium circumstántium,
quorum tibi fides cógnita est et nota devótio,

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in *Institutione generali Missalis Romani,* n. 109, notatur.

pro quibus tibi offérimus:
vel qui tibi ófferunt hoc sacrifícium laudis,
pro se suísque ómnibus:
pro redemptióne animárum suárum,
pro spe salútis et incolumitátis suæ:
tibíque reddunt vota sua
ætérno Deo, vivo et vero.

37. Infra Actionem

Communicántes,
et memóriam venerántes,
in primis gloriósæ semper Vírginis Maríæ,
Genetrícis Dei et Dómini nostri Iesu Christi:
sed et beáti Ioseph, eiúsdem Vírginis Sponsi,
et beatórum Apostolórum ac Mártyrum tuórum,
Petri et Pauli, Andréæ,
(Iacóbi, Ioánnis,
Thomæ, Iacóbi, Philíppi,
Bartholomǽi, Matthǽi,
Simónis et Thaddǽi:
Lini, Cleti, Cleméntis, Xysti,
Cornélii, Cypriáni,
Lauréntii, Chrysógoni,
Ioánnis et Pauli,
Cosmæ et Damiáni)
et ómnium Sanctórum tuórum;
quorum méritis precibúsque concédas,
ut in ómnibus protectiónis tuæ muniámur auxílio.
(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

38. Manibus extensis, prosequitur:

Hanc ígitur oblatiónem servitútis nostræ,
sed et cunctæ famíliæ tuæ,
quǽsumus, Dómine, ut placátus accípias:

diésque nostros in tua pace dispónas,
atque ab ætérna damnatióne nos éripi
et in electórum tuórum iúbeas grege numerári.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

39. Tenens manus expansas super oblata, dicit:

Quam oblatiónem tu, Deus, in ómnibus, quǽsumus,
benedíctam, adscríptam, ratam,
rationábilem, acceptabilémque fácere dignéris:
ut nobis Corpus et Sanguis fiat dilectíssimi Fílii tui,
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

40. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui, prídie quam paterétur,

accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accépit panem in sanctas ac venerábiles manus suas,

elevat oculos,

et elevátis óculis in cælum
ad te Deum Patrem suum omnipoténtem,
tibi grátias agens benedíxit,
fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

41. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens, prosequitur:

accípiens et hunc præclárum cálicem
in sanctas ac venerábiles manus suas,
item tibi grátias agens benedíxit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI
NOVI ET ÆTÉRNI TESTAMÉNTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.
HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

42. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes post Consecrationem.

43. Loco formulæ acclamationis quæ supra, n. 42, indicatur, adhiberi potest una ex sequentibus:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

---

44. Postea, extensis manibus, sacerdos dicit:

Unde et mémores, Dómine,
nos servi tui,
sed et plebs tua sancta,
eiúsdem Christi, Fílii tui, Dómini nostri,
tam beátæ passiónis,
necnon et ab ínferis resurrectiónis,
sed et in cælos gloriósæ ascensiónis:
offérimus præcláræ maiestáti tuæ
de tuis donis ac datis
hóstiam puram,
hóstiam sanctam,
hóstiam immaculátam,
Panem sanctum vitæ ætérnæ
et Cálicem salútis perpétuæ.

45. Supra quæ propítio ac seréno vultu
respícere dignéris:
et accépta habére,
sícuti accépta habére dignátus es
múnera púeri tui iusti Abel,
et sacrifícium Patriárchæ nostri Abrahæ,
et quod tibi óbtulit
summus sacérdos tuus Melchísedech,
sanctum sacrifícium, immaculátam hóstiam.

46. Inclinatus, iunctis manibus, prosequitur:

Súpplices te rogámus, omnípotens Deus:
iube hæc perférri per manus sancti Angeli tui
in sublíme altáre tuum,
in conspéctu divínæ maiestátis tuæ;
ut, quotquot ex hac altáris participatióne
sacrosánctum Fílii tui Corpus et Sánguinem
sumpsérimus,

erigit se atque seipsum signat, dicens:

omni benedictióne cælésti et grátia repleámur.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

47. Commemoratio pro defunctis.

Manibus extensis, dicit:

Meménto étiam, Dómine,
famulórum famularúmque tuárum N. et N.,
qui nos præcessérunt cum signo fídei,
et dórmiunt in somno pacis.

Iungit manus et orat aliquantulum pro iis defunctis, pro quibus orare intendit.

Deinde, extensis manibus, prosequitur:

Ipsis, Dómine, et ómnibus in Christo quiescéntibus,
locum refrigérii, lucis et pacis,
ut indúlgeas, deprecámur.

Iungit manus.

(Per Christum Dóminum nostrum. Amen.)

48. Manu dextera percutit sibi pectus, dicens:

Nobis quoque peccatóribus fámulis tuis,

et extensis manibus prosequitur:

de multitúdine miseratiónum tuárum sperántibus,
partem áliquam et societátem donáre dignéris
cum tuis sanctis Apóstolis et Martýribus:
cum Ioánne, Stéphano,
Matthía, Bárnaba,
(Ignátio, Alexándro,
Marcellíno, Petro,
Felicitáte, Perpétua,
Agatha, Lúcia,
Agnéte, Cæcília, Anastásia)
et ómnibus Sanctis tuis:

intra quorum nos consórtium,
non æstimátor mériti, sed véniæ,
quǽsumus, largítor admítte.

Iungit manus.

Per Christum Dóminum nostrum.

49. Et prosequitur:

Per quem hæc ómnia, Dómine,
semper bona creas, sanctíficas, vivíficas, benedícis,
et præstas nobis.

50. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 216.

PREX EUCHARISTICA II

51. ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum et iustum est, æquum et salutáre,
nos tibi, sancte Pater, semper et ubíque grátias ágere
per Fílium dilectiónis tuæ Iesum Christum,
Verbum tuum per quod cuncta fecísti:
quem misísti nobis Salvatórem et Redemptórem,
incarnátum de Spíritu Sancto et ex Vírgine natum.

Qui voluntátem tuam adímplens
et pópulum tibi sanctum acquírens
exténdit manus cum paterétur,
ut mortem sólveret et resurrectiónem manifestáret.

Et ídeo cum Angelis et ómnibus Sanctis
glóriam tuam prædicámus, una voce dicéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

52. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Vere Sanctus es, Dómine, fons omnis sanctitátis.

53. Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Hæc ergo dona, quǽsumus,
Spíritus tui rore sanctífica,

iungit manus

et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut nobis Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

54. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Qui cum Passióni voluntárie traderétur,

accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accépit panem et grátias agens fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET MANDUCATE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, reponit super patenam, et genuflexus adorat.

55. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accípiens et cálicem,
íterum grátias agens dedit discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTÉRNI TESTAMÉNTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.

HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

56. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes post Consecrationem.

57. Loco formulæ acclamationis quæ supra n. 56 indicatur, adhiberi potest una ex sequentibus:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

---

58. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur mortis et resurrectiónis eius,
tibi, Dómine, panem vitæ
et cálicem salútis offérimus,
grátias agéntes quia nos dignos habuísti
astáre coram te et tibi ministráre.

Et súpplices deprecámur
ut Córporis et Sánguinis Christi partícipes
a Spíritu Sancto congregémur in unum.

Recordáre, Dómine, Ecclésiæ tuæ toto orbe diffúsæ,
ut eam in caritáte perfícias
una cum Papa nostro N. et Epíscopo nostro N. *
et univérso clero.

Meménto étiam fratrum nostrórum,
qui in spe resurrectiónis dormiérunt,
omniúmque in tua miseratióne defunctórum,
et eos in lumen vultus tui admítte.

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in *Institutione generali Missalis Romani*, n. 109, notatur.

Omnium nostrum, quǽsumus, miserére,
ut cum beáta Dei Genetríce Vírgine María,
beátis Apóstolis et ómnibus Sanctis,
qui tibi a sǽculo placuérunt,
ætérnæ vitæ mereámur esse consórtes,
et te laudémus et glorificémus

iungit manus

per Fílium tuum Iesum Christum.

59. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 216.

PREX EUCHARISTICA III

60. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Vere Sanctus es, Dómine,
et mérito te laudat omnis a te cóndita creatúra,
quia per Fílium tuum,
Dóminum nostrum Iesum Christum,
Spíritus Sancti operánte virtúte,
vivíficas et sanctíficas univérsa,
et pópulum tibi congregáre non désinis,
ut a solis ortu usque ad occásum
oblátio munda offerátur nómini tuo.

61. Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Súpplices ergo te, Dómine, deprecámur,
ut hæc múnera, quæ tibi sacránda detúlimus,
eódem Spíritu sanctificáre dignéris,

iungit manus
et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Fílii tui Dómini nostri Iesu Christi,

iungit manus

cuius mandáto hæc mystéria celebrámus.

62. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit:

Ipse enim in qua nocte tradebátur

accipit panem
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accépit panem
et tibi grátias agens benedíxit,
fregit, dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

63. Postea prosequitur:

Símili modo, postquam cenátum est,

accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accípiens cálicem,
et tibi grátias agens benedíxit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SÁNGUINIS MEI
NOVI ET ÆTÉRNI TESTAMÉNTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.
HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

64. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes post Consecrationem.

65. Loco formulæ acclamationis quæ supra, n. 64, indicatur, adhiberi potest una ex sequentibus:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:
Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

---

66. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Mémores ígitur, Dómine,
eiúsdem Fílii tui salutíferæ passiónis
necnon mirábilis resurrectiónis
et ascensiónis in cælum,
sed et præstolántes álterum eius advéntum,
offérimus tibi, grátias referéntes,
hoc sacrifícium vivum et sanctum.

Réspice, quǽsumus, in oblatiónem Ecclésiæ tuæ
et, agnóscens Hóstiam,
cuius voluísti immolatióne placári,
concéde, ut qui Córpore et Sánguine Fílii tui refícimur,
Spíritu eius Sancto repléti,
unum corpus et unus spíritus inveniámur in Christo.

Ipse nos tibi perfíciat munus ætérnum,
ut cum eléctis tuis hereditátem cónsequi valeámus,
in primis cum beatíssima Vírgine, Dei Genetríce María,
cum beátis Apóstolis tuis et gloriósis Martýribus
(cum Sancto N.: Sancto diei vel patrono)
et ómnibus Sanctis,
quorum intercessióne
perpétuo apud te confídimus adiuvári.

Hæc Hóstia nostræ reconciliatiónis profíciat,
quǽsumus, Dómine,
ad totíus mundi pacem atque salútem.
Ecclésiam tuam, peregrinántem in terra,
in fide et caritáte firmáre dignéris
cum fámulo tuo Papa nostro N. et Epíscopo nostro N. *,

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in *Institutione generali Missalis Romani*, n. 109, notatur.

cum episcopáli órdine et univérso clero
et omni pópulo acquisitiónis tuæ.
Votis huius famíliæ, quam tibi astáre voluísti,
adésto propítius.
Omnes fílios tuos ubíque dispérsos
tibi, clemens Pater, miserátus coniúnge.

Fratres nostros defúnctos
et omnes qui, tibi placéntes, ex hoc sǽculo transiérunt,
in regnum tuum benígnus admítte,
ubi fore sperámus,
ut simul glória tua perénniter satiémur,

iungit manus

per Christum Dóminum nostrum,
per quem mundo bona cuncta largíris.

67. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

Deinde sequitur ritus communionis, p. 216.

PREX EUCHARISTICA IV

68. ℣. Dóminus vobíscum.
℟. Et cum spíritu tuo.

℣. Sursum corda.
℟. Habémus ad Dóminum.

℣. Grátias agámus Dómino Deo nostro.
℟. Dignum et iustum est.

Vere dignum est tibi grátias ágere,
vere iustum est te glorificáre, Pater sancte,
quia unus es Deus vivus et verus,
qui es ante sǽcula et pérmanes in ætérnum,
inaccessíbilem lucem inhábitans;
sed et qui unus bonus atque fons vitæ cuncta fecísti,
ut creatúras tuas benedictiónibus adimpléres
multásque lætificáres tui lúminis claritáte.

Et ídeo coram te innúmeræ astant turbæ angelórum,
qui die ac nocte sérviunt tibi
et, vultus tui glóriam contemplántes,
te incessánter gloríficant.

Cum quibus et nos et, per nostram vocem,
omnis quæ sub cælo est creatúra
nomen tuum in exsultatióne confitémur, canéntes:

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dóminus Deus Sábaoth.
Pleni sunt cæli et terra glória tua.
Hosánna in excélsis.
Benedíctus qui venit in nómine Dómini.
Hosánna in excélsis.

69. Sacerdos, manibus extensis, dicit:

Confitémur tibi, Pater sancte,
quia magnus es et ómnia ópera tua
in sapiéntia et caritáte fecísti.
Hóminem ad tuam imáginem condidísti,
eíque commisísti mundi curam univérsi,
ut, tibi soli Creatóri sérviens,
creatúris ómnibus imperáret.
Et cum amicítiam tuam, non obœ́diens, amisísset,
non eum dereliquísti in mortis império.
Omnibus enim misericórditer subvenísti,
ut te quæréntes invenírent.
Sed et fœ́dera plúries homínibus obtulísti
eósque per prophétas erudísti in exspectatióne salútis.
Et sic, Pater sancte, mundum dilexísti,
ut, compléta plenitúdine témporum,
Unigénitum tuum nobis mítteres Salvatórem.
Qui, incarnátus de Spíritu Sancto
et natus ex María Vírgine,
in nostra condiciónis forma est conversátus
per ómnia absque peccáto;
salútem evangelizávit paupéribus,
redemptiónem captívis,
mæstis corde lætítiam.
Ut tuam vero dispensatiónem impléret,
in mortem trádidit semetípsum
ac, resúrgens a mórtuis,
mortem destrúxit vitámque renovávit.
Et, ut non ámplius nobismetípsis viverémus,
sed sibi qui pro nobis mórtuus est atque surréxit,
a te, Pater, misit Spíritum Sanctum
primítias credéntibus,
qui, opus suum in mundo perfíciens,
omnem sanctificatiónem compléret.

70. Iungit manus, easque expansas super oblata tenens, dicit:

Quǽsumus ígitur, Dómine,
ut idem Spíritus Sanctus
hæc múnera sanctificáre dignétur,

iungit manus
et signat semel super panem et calicem simul, dicens:

ut Corpus et ✠ Sanguis fiant
Dómini nostri Iesu Christi

iungit manus

ad hoc magnum mystérium celebrándum,
quod ipse nobis relíquit in fœdus ætérnum.

71. In formulis quæ sequuntur, verba Domini proferantur distincte et aperte, prouti natura eorundem verborum requirit.

Ipse enim, cum hora venísset
ut glorificarétur a te, Pater sancte,
ac dilexísset suos qui erant in mundo,
in finem diléxit eos:
et cenántibus illis

accipit panem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accépit panem, benedíxit ac fregit,
dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET MANDUCÁTE EX HOC OMNES:
HOC EST ENIM CORPUS MEUM,
QUOD PRO VOBIS TRADÉTUR.

Hostiam consecratam ostendit populo, deponit super patenam, et genuflexus adorat.

72. Postea prosequitur:

Símili modo

accipit calicem,
eumque parum elevatum super altare tenens,
prosequitur:

accípiens cálicem, ex genímine vitis replétum,
grátias egit, dedítque discípulis suis, dicens:

parum se inclinat

ACCÍPITE ET BÍBITE EX EO OMNES:
HIC EST ENIM CALIX SANGUINIS MEI
NOVI ET ÆTÉRNI TESTAMÉNTI,
QUI PRO VOBIS ET PRO MULTIS EFFUNDÉTUR
IN REMISSIÓNEM PECCATÓRUM.

HOC FÁCITE IN MEAM COMMEMORATIÓNEM.

Calicem ostendit populo, deponit super corporale, et genuflexus adorat.

73. Deinde dicit:

Mystérium fídei.

Et populus prosequitur, acclamans:

Mortem tuam annuntiámus Dómine,
et tuam resurrectiónem confitémur, donec vénias.

Aliæ acclamationes post Consecrationem.

74. Loco formulæ acclamationis quæ supra, n. 73, indicatur, adhiberi potest una ex sequentibus:

Quotiescúmque manducámus panem hunc
et cálicem bíbimus,
mortem tuam annuntiámus, Dómine, donec vénias.

Vel:

Salvátor mundi, salva nos,
qui per crucem et resurrectiónem tuam liberásti nos.

---

75. Deinde sacerdos, extensis manibus, dicit:

Unde et nos, Dómine, redemptiónis nostræ memoriále nunc celebrántes,
mortem Christi
eiúsque descénsum ad ínferos recólimus,
eius resurrectiónem
et ascensiónem ad tuam déxteram profitémur,

et, exspectántes ipsíus advéntum in glória,
offérimus tibi eius Corpus et Sánguinem,
sacrifícium tibi acceptábile et toti mundo salutáre.

Réspice, Dómine, in Hóstiam,
quam Ecclésiæ tuæ ipse parásti,
et concéde benígnus ómnibus
qui ex hoc uno pane participábunt et cálice,
ut, in unum corpus a Sancto Spíritu congregáti,
in Christo hóstia viva perficiántur,
ad laudem glóriæ tuæ.

Nunc ergo, Dómine, ómnium recordáre,
pro quibus tibi hanc oblatiónem offérimus:
in primis fámuli tui, Papæ nostri N.,
Epíscopi nostri N. *, et Episcopórum órdinis univérsi,
sed et totíus cleri, et offeréntium,
et circumstántium,
et cuncti pópuli tui,
et ómnium, qui te quærunt corde sincéro.

Meménto étiam illórum,
qui obiérunt in pace Christi tui,
et ómnium defunctórum,
quorum fidem tu solus cognovísti.

Nobis ómnibus fíliis tuis, clemens Pater, concéde,
ut cæléstem hereditátem cónsequi valeámus
cum beáta Vírgine, Dei Genetríce, María,
cum Apóstolis et Sanctis tuis
in regno tuo, ubi cum univérsa creatúra,
a corruptióne peccáti et mortis liberáta,
te glorificémus per Christum Dóminum nostrum,

iungit manus,

per quem mundo bona cuncta largíris.

* Hic fieri potest mentio de Episcopis Coadiutoribus vel Auxiliariis, ut in *Institutione generali Missalis Romani*, n. 109, notatur.

76. Accipit patenam cum hostia et calicem, et utrumque elevans, dicit:

Per ipsum, et cum ipso, et in ipso,
est tibi Deo Patri omnipoténti,
in unitáte Spíritus Sancti,
omnis honor et glória
per ómnia sǽcula sæculórum.

Populus acclamat:

Amen.

RITUS COMMUNIONIS

77. Calice et patena depositis, sacerdos, iunctis manibus, dicit:

Præcéptis salutáribus móniti,
et divína institutióne formáti,
audémus dícere:

Extendit manus et, una cum populo, pergit:

Pater noster, qui es in cælis:
sanctificétur nomen tuum;
advéniat regnum tuum;
fiat volúntas tua, sicut in cælo, et in terra.
Panem nostrum cotidiánum da nobis hódie;
et dimítte nobis débita nostra,
sicut et nos dimíttimus debitóribus nostris;
et ne nos indúcas in tentatiónem;
sed líbera nos a malo.

78. Manibus extensis, sacerdos solus prosequitur, dicens:

Líbera nos, quǽsumus, Dómine, ab ómnibus malis,
da propítius pacem in diébus nostris,
ut, ope misericórdiæ tuæ adiúti,
et a peccáto simus semper líberi
et ab omni perturbatióne secúri:
exspectántes beátam spem
et advéntum Salvatóris nostri Iesu Christi.

Iungit manus.

Populus orationem concludit, acclamans:

Quia tuum est regnum,
et potéstas,
et glória in sǽcula.

79. Deinde sacerdos, manibus extensis, clara voce dicit:

Dómine Iesu Christe, qui dixísti Apóstolis tuis:
Pacem relínquo vobis, pacem meam do vobis:
ne respícias peccáta nostra,
sed fidem Ecclésiæ tuæ;
eámque secúndum voluntátem tuam
pacificáre et coadunáre dignéris.

Iungit manus.

Qui vivis et regnas in sǽcula sæculórum.

Populus respondet:

Amen.

80. Sacerdos, ad populum conversus, extendens et iungens manus, subdit:

Pax Dómini sit semper vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

81. Deinde, pro opportunitate, diaconus, vel sacerdos, subiungit:

Offérte vobis pacem.

Et omnes, iuxta locorum consuetudines, pacem et caritatem sibi invicem significant; sacerdos pacem dat diacono vel ministro.

82. Deinde accipit hostiam eamque super patenam frangit, et particulam immittit in calicem, dicens secreto:

Hæc commíxtio Córporis et Sánguinis
Dómini nostri Iesu Christi
fiat accipiéntibus nobis in vitam ætérnam.

83. Interim cantatur vel dicitur:

Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: miserére nobis.
Agnus Dei, qui tollis peccáta mundi: dona nobis pacem.

Quod etiam pluries repeti potest, si fractio panis protrahitur. Ultima tamen vice dicitur: dona nobis pacem.

84. Sacerdos deinde, manibus iunctis, dicit secreto:

Dómine Iesu Christe, Fili Dei vivi,
qui ex voluntáte Patris,
cooperánte Spíritu Sancto,
per mortem tuam mundum vivificásti:
líbera me
per hoc sacrosánctum Corpus et Sánguinem tuum
ab ómnibus iniquitátibus meis et univérsis malis:
et fac me tuis semper inhærére mandátis,
et a te numquam separári permíttas.

Vel:

Percéptio Córporis et Sánguinis tui, Dómine Iesu Christe,
non mihi provéniat in iudícium et condemnatiónem:
sed pro tua pietáte prosit mihi
ad tutaméntum mentis et córporis,
et ad medélam percipiéndam.

85. Sacerdos genuflectit, accipit hostiam, eamque aliquantulum elevatam super patenam tenens, ad populum versus, clara voce dicit:

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccáta mundi.
Beáti qui ad cenam Agni vocáti sunt.

Et una cum populo semel subdit:

Dómine, non sum dignus
ut intres sub tectum meum:
sed tantum dic verbo,
et sanábitur ánima mea.

86. Et sacerdos, ad altare versus, secreto dicit:

Corpus Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Corpus Christi.

Deinde accipit calicem et secreto dicit:

Sanguis Christi custódiat me in vitam ætérnam.

Et reverenter sumit Sanguinem Christi.

87. Postea accipit patenam vel pyxidem, accedit ad communicandos, et hostiam parum elevatam unicuique eorum ostendit, dicens:

Corpus Christi.

Communicandus respondet:

Amen.

Et communicatur.

Eo modo agit et diaconus, si sacram Communionem distribuit.

88. Si adsint sub utraque specie communicandi, servetur ritus suo loco descriptus.

89. Dum sacerdos sumit Corpus Christi, incipit cantus ad Communionem.

90. Distributione Communionis expleta, sacerdos vel diaconus vel acolythus purificat patenam super calicem et ipsum calicem.

Dum purificationem peragit, sacerdos dicit secreto:

Quod ore súmpsimus, Dómine,
pura mente capiámus,
et de múnere temporáli
fiat nobis remédium sempitérnum.

91. Tunc sacerdos ad sedem redire potest. Pro opportunitate sacrum silentium, per aliquod temporis spatium, servari, vel psalmus aut canticum laudis proferri potest.

92. Deinde, stans ad sedem vel ad altare, sacerdos dicit:

Orémus.

Et omnes una cum sacerdote per aliquod temporis spatium in silentio orant, nisi silentium iam præcesserit. Deinde sacerdos, manibus extensis, dicit orationem post Communionem. Populus in fine acclamat:

Amen.

Ritus conclusionis

93. Sequuntur, si habendæ sint, breves annuntiationes ad populum.

94. Deinde fit dimissio. Sacerdos, versus ad populum, extendens manus, dicit:

Dóminus vobíscum.

Populus respondet:

Et cum spíritu tuo.

Sacerdos benedicit populum, dicens:

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

Populus respondet:

Amen.

Quibusdam diebus vel occasionibus, huic formulæ benedictionis præmittitur, iuxta rubricas, alia formula benedictionis sollemnior, vel oratio super populum.

95. Deinde diaconus, vel ipse sacerdos, manibus iunctis, ad populum versus dicit:

Ite, missa est.

Populus respondet:

Deo grátias.

96. Deinde sacerdos altare osculo de more veneratur, ut initio. Facta denique debita reverentia cum ministris, recedit.

97. Si qua actio liturgica immediate sequatur, ritus dimissionis omittuntur.

APPENDIX

BENEDICTIONES SOLLEMNES

Benedictiones sequentes adhiberi possunt in fine celebrationis Missæ.

Diaconus vel ipse sacerdos invitat populum ad accipiendam benedictionem dicens: Inclináte vos ad benedictiónem, vel alia apta verba.

Deinde sacerdos, manibus super populum extensis, dicit formulam benedictionis, omnibus respondentibus: Amen.

TEMPORE ADVENTUS

Advéniat super vos grátia Patris,
cuius Verbum in alvum beátæ Vírginis descéndit,
ut humáni géneris fíeret Salvátor.

℟. Amen.

Non recédat a córdibus vestris pax Christi,
cuius advéntum beáta Virgo, fília Sion,
læta exspectávit.

℟. Amen.

Spíritus Sancti grátia illúminet péctora vestra,
ut in oratióne vígiles et in láudibus exsultántes
exspectétis álterum Christi advéntum.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE NATIVITATIS

Deus, qui præteritórum témporum calíginem
in partu Vírginis serenávit,
solis iustítiæ rádiis mentes vestras illúminet.

℟. Amen.

Et qui Fílium suum in mundum misit redemptórem,
tríbuat vobis ad eius imáginem intus reformári.

℟. Amen.

Ut cum sancta María, Sapiéntiæ matre,
tanta benefícia grato ánimo conferéntes,
ad Christi et beátæ Vírginis exémplar
perpétuo componátis vitam et mores.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE QUADRAGESIMÆ

Deus, qui per Fílii sui immolatiónem,
cui pérdolens Mater amánter consénsit,
humánum genus redímere státuit,
partícipes vos fáciat tanti salútis mystérii.

℟. Amen.

Et qui beátam Vírginem
fídei et dolóris grádibus ascéndere vóluit
donec iuxta crucem fastígium attíngeret caritátis
vos quoque, in fide progrediéntes,
ad summa próvehat amóris.

℟. Amen.

Ut Christi patiéntis referéntes imáginem,
témpore vitæ expléto,
eius glóriæ fiátis consórtes.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE PASCHALI

Deus Pater,
qui Fílii sui resurrectióne
beátam Vírginem et oriéntem Ecclésiam lætificávit,
omni gáudio spiritáli vos répleat.

℟. Amen.

Iesus Christus,
qui, ex intemeráta Vírgine natus,
ex intácto sepúlcro resurréxit,
íntegram in vobis servet fidem Baptísmi.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus,
cuius illápsum beáta Virgo cum Apóstolis
fidénter præstolávit,
corda vestra inhabitándo puríficet.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE « PER ANNUM »

I

Misericors Pater,
per illam caritátem
quam hábuit erga Fílii sui Matrem,
vobis cónferat córporis et ánimi sanitátem.

℟. Amen.

Iesus Christus,
fructus benedíctus almæ Vírginis,
concédat vobis ornaménta virtútum,
quibus vos gratióres sibi reddat.

℟. Amen.

Spirítus Sanctus,
qui in beátam Vírginem supervénit,
donet vobis pacis dulcédinem,
quæ vos concórditer fóveat in grémio matris Ecclésiæ.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE « PER ANNUM »

II

Deus, qui per beátæ Maríæ Vírginis partum
genus humánum sua vóluit benignitáte redímere,
sua vos dignétur benedictióne ditáre.

℟. Amen.

Eiúsque semper et ubíque patrocínia sentiátis,
per quam Auctórem vitæ suscípere meruístis.

℟. Amen.

Et qui ad eius celebrándam memóriam
hodiérna die devótis méntibus convenístis,
spiritálium gaudiórum cælestiúmque præmiórum
vobíscum múnera reportétis.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

TEMPORE « PER ANNUM »

III

Benedícat vos miséricors Pater,
beátæ Maríæ semper vírginis intercessióne,
per quam vóluit lapsum primæ mulíeris reparáre.

℟. Amen.

Dóminus Iesus qui in grémio beátæ Vírginis
noster factus est frater atque salvátor
mentes vestras emúndet ab omni contagióne peccáti.

℟. Amen.

Spíritus Sanctus áugeat in vobis
veræ fídei grátiam et donum supérnæ spei,
ut, vias Evangélii percurréntes,
ad cælórum pátriam perveníre mereátis.

℟. Amen.

Benedícat vos omnípotens Deus,
Pater, et Fílius, ✠ et Spíritus Sanctus.

℟. Amen.

INDICES

INDEX ALPHABETICUS MISSARUM

INDEX GENERALIS

TEMPUS PASCHALE

ORDO MISSÆ

INDICES

HOC VOLUMEN
TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
EXCUSUM
IMAGINIBUS
A FR. FLORENTIO M. GOBBO OSM
DELINEATIS
AFFABRE ORNATUR